BENEDICTIO PONTIFICIS

Alter ex Ephemeridum Moderatoribus die 18 Februarii, post Cong.nem Generalem super virtutibus Ven. S. D. Francisci a Ghisone, coram SS.mo habitam, obtulit Sanctitati Suae XI Ephemeridum Liturgicarum Volumen; petiitque humiliter Apostolicam benedictionem pro se, Coadiutoribus suis, universisque Consociatis, quam peramanter et fuse Eadem Sanctitas Sua impertiri dignata est.

E S. RITUUM CONGREGATIONE

I.

BAREN.

Per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis datum die 27 Martii, hoc labente anno, confirmata fuit sententia Archiepiscopi Barensis in controversia de praecedentia inter Confraternitatem SS.mi Sacramenti et Sodalitium Tertii Ordinis S. Francisci in oppido *Triggiano* nuncupato. Quum vero praedicta Confraternitas novam postulasset atque obtinuisset revisionem et examen praedictae sententiae, eadem Sacra Congregatio in altero conventu ordinario Rotali,

subsignata die, ad Vaticanum habita coram E.mo et R.mo Cardinali D.no Lucido M. Parocchi Episcopo Portuensi et S. Rufinae, loco et vice E.mi et R.mi Card. D.ni Caietani Aloisi Masella causae Ponentis, iterum maturo examine perpensis omnibus ab utraque parte contendente deductis ac sententia supradicta una cum Rescripto eam confirmante, ad propositum dubium, *An sit standum in decisis vel recedendum a decisis?* respondendum censuit: *Standum in decisis, et praecedentiam in casu spectare ad Tertium Ordinem.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 30 Novembris 1897.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*

Diomedes Panici *Secret.*

II.

PARISIEN.

R. D. Augustinus Dauby, Sacerdos et Moderator pii Instituti a Sancto Nicolao nuncupati, in Civitate Parisiensi, de consensu sui R.mi Ordinarii, sequentium Dubiorum solutionem a Sacra Rituum Congregatione humillime expetivit, nimirum:

I. Quoad genuflexiones faciendas a ministro Missae privatae, quae iusta de causa et praevia

licentia celebretur in Altari expositionis SS.mi Sacramenti, quaeritur:

1. Minister, qui transfert missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii et genuflectit in plano ante medium Altaris, debetne etiam genuflectere in accessu ad cornu Altaris et recessu?

2. Quando idem minister ad offertorium et purificationem ascendit ad Altare et descendit, ubinam genuflectere debet?

II. Rubricae Missalis ad titulum *Ritus servandus in celebratione Missae V, n. 6,* praescribunt: « *Si in altari fuerit tabernaculum SS.mi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium altaris* »; quaeritur: Utrum etiam in Missa privata debeat Sacerdos genuflectere:

1. quando defectu ministri, ipse transfert Missale a cornu Epistolae ad cornu Evangelii, et vicissim;

2. quando in Maiori Hebdomada transit a cornu Epistolae ad cornu Evangelii ad legendam Passionem?

III. Rituale Romanum in tit. *Ordo ministrandi Sacram Communionem,* haec habet: « *Sacerdos reversus ad altare dicere poterit: O sacrum convivium etc.,* ℣. *Domine exaudi etc. Et clamor etc., Dominus vobiscum etc.* »; quaeritur:

1. Utrum istae preces convenienter dican-

tur, iunctis manibus antequam cooperiatur pyxis et digiti abluantur ?

2. Utrum Sacerdos duas genuflexiones facere debeat, unam statim ac deposuit pyxidem super Altari et antequam eam cooperiat ; alteram priusquam, reposita in tabernaculo pyxide, ipsius tabernaculi ostiolum claudat ?

IV. Iuxta Caeremoniale Episcoporum, ad benedictionem impertiendam cum SS.mo Sacramento ipse celebrans accipit ostensorium super Altari positum ; sed receptum est, ut Diaconus accipiat ostensorium et porrigat celebranti, qui post benedictionem Diacono tradit super Altari collocandum, quaeritur : Utrum liceat in hac duplici ostensorii traditione ritum servare, qui praescribitur pro feria V in Coena Domini et in festo SS. Corporis Christi ante et post processionem SS.mi Sacramenti ?

V. Licetne aliquid canere lingua vernacula

1. In Missa solemni dum sacra Communio distribuitur per notabile tempus ?

2. In solemni processione SS.mi Sacramenti, alternatim cum hymnis liturgicis ?

VI. Iuxta Caeremoniale Episcoporum in solemni Officio ad nonam Lectionem et in Laudibus Hebdomadarius et Assistentes pluviali sunt induti, quaeritur :

1. Utrum idem fieri possit a principio Matutini ?

2. Utrum lectori septimae Lectionis Evangelii homiliae duo acolythi cum cereis accensis assistere possint, durante lectione Evangelii ?

Et Sacra Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit :

Ad I. quoad primam quaestionem : Unicam genuflexionem esse faciendam in plano ante medium Altaris ; quoad alteram quaestionem : Tam ante ascensionem ad Altare, quam post descensionem de eodem in plano genuflexionem esse faciendam.

Ad II. Negative ad utrumque.

Ad III. Quoad primam partem : Negative et preces dicendae sunt infra ablutionem et extersionem digitorum. Quoad alteram partem : Affirmative iuxta Decretum *in Romana* d. d. 23 Decembris 1862, et praxim Basilicarum Urbis.

Ad IV. Aut servatur ritus a Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. 32, § 27 praescriptus, aut, iuxta praxim Romanam, Diaconus ostensorium celebranti tradere vel ab eodem recipere potest, utroque stante.

Ad V. Negative ad utrumque.

Ad VI. Si non adsit legitima consuetudo, Negative et servetur Caeremoniale Episcoporum lib. II, cap. VI, § 16.

Atque ita rescripsit. Die 14 Ianuarii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

III.

BELLUNEN. ET FELTREN.

R.mus Dominus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunensis et Feltrensis, qui per rescriptum Sacrorum Rituum Congregationis d. d. 23 Novembris anno elapso 1897, obtinuit facultatem consecrandi, sive per se sive per Sacerdotem Apostolicae Sedis nomine a se delegatum, quaedam Altaria, adhibendo breviorem ritum ac formulam, iuxta instructionem ad Ipsum transmissam ab eadem Sacra Congregatione, sequentium dubiorum solutionem humillime efflagitavit; nimirum:

I. In aqua, cum qua fit malta seu coementum ad firmandam tabulam seu lapidem super sepulcrum reliquiarum benedici valeat cum formula inserta in Rituali Romano?

II. An ipsum coementum benedicendum sit?

III. An supradicta benedictio tum aquae tum coementi, necnon facultas consecrandi Altaria, in quibus lapis sepulcri ob omissum coementum movetur, Apostolicae Sedis nomine delegari possit simplici Sacerdoti, vi obtenti Rescripti?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Negative, sed in benedictione eiusmodi aquae adhibenda est formula, quae habetur in ipso Pontificali Romano.

Ad II. Affirmative, iuxta Pontificale Romanum.

Ad III. Affirmative quoad utramque partem.

Atque ita rescripsit. Die 21 Ianuarii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C. Praef.*

D. Panici *Secret.*

IV.

BUGELLEN.

In Actis synodalibus dioeceseos Bugellensis pag. 3. legitur: « Missa etiam in pauperum funeribus, praesente cadavere, si fieri potest, cani debet: legatur autem, si cani nequit, diebus per decreta S. Rituum Congregationis permissis. » Hinc ab ipsa Sacra Congregatione expetitum fuit: « Utrum concessio facta die 4 Aprilis 1878 Ecclesiis vel Oratoriis publicis praedictae dioeceseos celebrandi biduo in qualibet Hebdomada, exclusis duplicibus primae et secundae classis, festis de praecepto servandis, feriis, vigilis, octavisque privilegiatis, Missam cantatam

de Requie extendatur etiam ad Missam de Requie sine cantu, seu lectam? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, rescribendum censuit: *Negative, nisi agatur de Missa die obitus seu depositionis pro paupere defuncto.* Atque ita rescripsit. Die 28 Ianuarii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praef.*
D. Panici *Secret.*

ANIMADVERSIO

Ecclesiis publicisque Oratoriis Dioeceseos Bugellensis concessum est Indultum, uti in Dubii expositione narratur, cantandi Missam de requie bis in hebdomada, diebus quibusdam exceptis, qui a S. R. Cong.ne de more excipiuntur. Decretum autem synodale eiusdem Dioeceseos exigit ut Missa in pauperum funeribus canatur, si potest: secus legatur quando ex lege liturgica permittitur. Quaesitum vero est: An, stante synodali Decreto, Indultum Missae cantatae de requie extendatur quoque ad Missam de requie lectam? Responsum est: « Negative .. » Ratio abunde patet, quia Missa de requie sine cantu non solum prohibetur, vi Rubricarum, in diebus duplicibus I cl. et in festis cum feriatione recolendis, uti pariter in feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, sed etiam in omnibus singulisque festis duplicibus. Quod ergo Indultum pro Missa cantata de requie S. R. C. concessit, extendendum non est ad Missam de requie privatam. Quod autem funera attinet, de quibus peculiariter agitur in casu, Missa cantata permittitur in die obitus vel depositionis, aut in sequenti biduo, physice vel moraliter praesente corpore, in omnibus duplicibus, non exceptis 1.ae classis, si quae excipienda

sunt excipias. Non item de privata, cuius privilegium recenter concessum, minus late patet, et ab ipsa Missa cantata dependet, uti notum est. Ratio ergo non suppetebat extensionis Indulti, quod solas Missas cum cantu spectabat.

Nihilominus clausulam posuit S. R. C. post responsum negativum, addens: « nisi agatur de Missa, die obitus seu depositionis pro paupere defuncto ». Quid autem eiusmodi clausula significat? Vult ne Sacrum Tribunal Indultum ad quascumque Missas de requie privatas *in genere* non extensum, *specialiter* extendere ad Missam privatam de requie pro paupere defuncto in die obitus? Non credimus. 1. Quia id non quaeritur in petitione, sed tantum: Utrum Indultum cantandi Missam de requie bis in hebdomada, intelligi quoque possit pro eadem legenda? Porro S. R. C. respondere non solet, nisi ad id quod quaeritur. 2. Quia Indultum Missae de requie bis cantandae in hebdomada non habet relationem cum Missa lecta pro pauperibus defunctis: qui; secus, quasi supponerentur bis in hebdomada mori. 3. Quia petitionis obiectum non est facultas extendendi Indultum, sed utrum per se *extendatur*, seu, an intelligendum sit, tam de Missis cantatis quam lectis, de requie. Sicut autem per se non extenditur, uti patet, ad Missam lectam bis in hebdomada, ita neque ad eamdem per se extenditur in die obitus pauperis. 4. Denique, si S. C. intellexisset Indultum extendere ad Missam de requie lectam pro paupere defuncto, sequeretur dictam Missam bis tantum in hebdomada posse fieri, cum tamen tres pauperes decedere possint vel etiam plures in hebdomada, et tunc aliquis tantum dicta Missa frui posset, non autem omnes: cuius dispositionis ratio non posset intelligi.

Quid ergo dicta cum clausula significare voluit Sacrum Tribunal? Hoc tantum, uti certo credimus: Data, ut par est, per negativum responsum limitatione Indulti ad solam Missam de requie cum cantu bis in hebdomada, et non ad Missam privatam, significare voluit, per eiusmodi responsum se noluisse ullo pacto detrahere privilegio Missae de requie privatae, quo, iuxta probatos auctores, gaudet pauper defunctus in die obitus, loco Missae solemnis vel cantatae, pro qua solvere non valet expensas. Ex praefatis vero auctoribus afferri possunt ex. gr. Pasqualigo, Cavalieri, Wapelhorst etc. At, quod magis interest, ipsa S. R. C., quae antiquiori aetate severius se gerere visa est, postmodum mitiorem se praebuit. Etenim in una *Mechlinien.*

(22 Maii 1841 ad 6) usum, qui in dioecesi Brugensi et Mechliniensi invaluerat, explicite approbavit. Usus autem huiusmodi, erat legendi Missam de requie in duplicibus pro pauperibus cadavere quidem praesente, qui expensas pro Missa cantata haud poterant solvere. Fatendum tamen praefatum usum sola duplicia respexisse, in quibus Missa cum cantu permissa erat in anniversariis. Item successu temporis eadem petitio facta est, imo ut sola principaliora dictam Missam excluderent, quemadmodum excludunt Missam cum cantu, etiam praesente cadavere. Quam tamen S. R. C. non concessit. Hinc ad « Dubium III. Utrum possit interdum, etiam in festis duplicibus, exceptis principalioribus, legi tantummodo haec Missa (*de requie, pro paupere, qui non valet expensas solvere pro cantata*), loco ut cum cantu dicatur? » Responsum autem fuit: « Affirmative ad tramitem concessionis in una *Mechlinien.* diei 22 Maii 1841 ad VI *(Adrien. 2 sept. 1871)*. » Quod nihilominus magis extendetur per aliud novum Decretum in novissima Decretorum Collectione inserendum. Confirmatur auctoritate Ritualis Romani, iubentis: « Illud, quantum fieri potest, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo **celebretur,** antequam sepulturae tradatur. » Item: « Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis praesente corpore **celebrari** poterit; dum tamen conventualis Missa et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet (*Tit. VI, cap. 1, n. 4 et 5*). » Ubi facile vides: 1. non distingui ex lege inter cantatam lectamque Missam: 2. sola divina officia magnamque celebritatem posse Missam exequialem impedire. Sapienter profecto S. R. C. legem interpretata est pro Missa cantata; at quod *in genere* sapientissima et authentica interpres determinavit, *specifice* ad vere pauperes applicandum esse, pari cum sapientia non censuit. Ac proinde dicendum, Missam exequialem *privatam* esse indubie permissam in casu, non tamen quoties *cantata* permittitur; nisi forte Sacro Tribunali placuerit aliquam adiicere extensionem, quae ex nova Collectione constare poterit. Suffragatur et ratio; non enim intelligeretur qua de causa pauperes inferioris deberent esse hac in re conditionis quam divites, cum potius maiorem quam illi mereantur commiserationem.

Inferes: Decreta anteriora esse censenda abrogata, quae hanc Missam prohibebant; et auctores quosdam adhuc eam non tamen certo, interdictam sustinentes, amplius non esse audiendos.

V.

BELLUNEN. ET FELTREN.

R.mus D.nus Salvator Ioannes Baptista Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren., Pastorali Visitatione Dioecesana peracta, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humiliter expetivit; nimirum:

I. Utrum tolerari possit quod in parte posteriori Altaris maioris Ecclesiae Cathedralis Feltrensis sub gradu candelabrorum non tamen sub mensa, in quodam armario custodiantur libri chorales?

II. Utrum permitti possit ut sub sacrario praedictae Ecclesiae Cathedralis, in quo extat Altare portatile, habeantur cubicula pro habitatione aeditui laici suaeque familiae?

III. Quum dubium ortum sit an Ecclesia S. Rochi antea consecrata et deinceps ampliata, fuerit post ampliationem benedicta, quaeritur utrum eiusmodi benedictio, quae fidelibus saltem admirationem moveret, omitti possit?

IV. Utrum possit tolerari antiqua consuetudo erigendi Altare portatile in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, quibusdam occurrentibus solemnitatibus et confluente ingenti populi frequentia?

V. Utrum, extante dubio de privilegio, tolerari possint in domibus privatis fenestrae, quae introspiciunt adiunctam Ecclesiam vel Orato-

rium publicum, quaeque non absque gravi familiarum moerore et cum magna difficultate claudi possent?

VI. Utrum in Ecclesiis consecratis et non tantum benedictis, ubi nullum extat Altare fixum consecratum vel, si aliquod extabat, hoc per defectum substantialem uti execratum habetur, remanere queant Altaria tantum portatilia?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audito etiam voto Commissionis Liturgicae reque accurate perpensa rescribendum censuit:

Ad I. II. III. IV. et V. R.mus Orator acquiescat.

Ad VI. Quam primum fieri possit, consecretur Altare fixum, praesertim Altare maius, in forma consueta, iuxta Pontificale Romanum.

Si vero Altare fixum consecratum fuit, sed per aliquem defectum substantialem amisit consecrationem, tunc, dummodo omnes adsint conditiones requisitae ad novam consecrationem Altaris, haec perfici poterit *ex gratia* per ritum ac formulam brevem, ad tramites Instructionis ab ipsa Sacra Rituum Congregatione apposite tradendae.

Atque ita rescripsit. Die 4 Februarii 1898.

C. Card. MAZZELLA *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praef.*
D. Panici *Secret.*

VI.

NEOPORTEN. ET MEVITEN.

R.mus D.nus Cuthbertus Hedley, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Neoporten. Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit, nimirum:

I. In Anglia nec dari Paroecias strictim dictas, nec Beneficia, quibus adnexum sit onus Divini Officii recitandi; verum Ecclesiis singulis addictos esse unum vel plures Sacerdotes, qui ibidem residentes, munia quasi parochialia in Territorio sive (ut aiunt) in Districtu Missionario ipsius Ecclesiae ratione muneris exercent.

II. Rectores Ecclesiarum alios esse ad nutum Episcopi amovibiles, alios vero nonnisi praevio Processu Canonico vel Resignatione sponte oblata et accepta: universos autem Vicarios, sive Sacerdotes Assistentes esse ad nutum Ordinarii amovibiles.

III. Ecclesias per Angliam perpaucas esse consecratas, ceteras benedictas sub invocatione Sancti Titularis: nonnunquam vero Fideles (deficiente Aede Sacra) congregari ad Missam audiendam Sacramentaque suscipienda in Schola vel alia Aula congrua pro publico Oratorio ab Ordinario designata.

Quare idem R.mus Episcopus Orator, apprime cupiens cuncta quae cultum divinum respiciunt in sua Dioecesi ad tramites Decretorum Sacrae

Rituum Congregationis disponere, enixe postulavit, nempe:

I. An apud Anglos in Ecclesiis Cleri Saecularis Calendarium Dioecesanum a laudata Sacra Rituum Congregatione approbatum et singulis annis iussu Ordinarii editum, additis festis Ss. Titularium, Dedicationis, atque aliis (si quae fuerint) a Sancta Sede concessis, censeatur Calendarium uniuscuiusque Ecclesiae, cui proinde quivis Celebrans in Sacro faciendo atque Sacerdotes Ecclesiae, etiam in Officio Divino recitando se conformare debeant?

II. An liceat Regularibus, si quando ipsis precario committeretur una cum cura animarum administratio alicuius Ecclesiae Saecularium, Sacras Functiones iuxta ordinem Calendarii propriae Religiosae Congregationis peragere, relicto Calendario Dioecesano, cui populus iam assuetus fuerit?

III. An Regularis Ecclesiae Saeculari aliquando ad tempus sive ad beneplacitum Episcopi (Superiore Religioso assentiente) praepositus atque privatim recitans Horas Canonicas, adhibito iuxta decreta a S. Rituum Congregatione Calendario proprii Ordinis, teneatur nihilominus ad Officium Sancti Titularis Ecclesiae Saecularis praedictae et quidem sub ritu duplicis primae classis cum Octava?

IV. Item, an, commissa absque tempore praefinito, administratione Ecclesiae Regularis Sacerdoti saeculari, huic liceat, amoto Calendario

Regularium, quo hactenus usus fuerit Clerus illius Ecclesiae, ordinare Missas et Officia publica iuxta Calendarium Dioecesanum ?

V. Quid decernendum de Calendario illorum Districtuum (sive sint de iure Cleri Saecularis sive de iure Cleri Regularis) ubi, Ecclesia nondum aedificata, populus ad Sacra adunetur in aedificiis, nonnisi transitorie ad cultum destinatis ?

VI. Cum saepenumero eveniat (vi privilegii a Sancta Sede concessi) Canonicos Ecclesiae Cathedralis praepositos esse, cum cura animarum et onere residentiae, Ecclesiis dissitis nec a Cathedrali dependentibus, utrum a Canonico Rectore huiusmodi Officium divinum sit persolvendum iuxta Calendarium Cathedralis, vel potius iuxta Calendarium Ecclesiae, cui hac ratione et stabili modo sive etiam vita perdurante ipse fuerit adscriptus?

VII. An Sacerdotes Assistentes sive Vicarii teneantur in recitatione privata divini Officii se conformare Calendario Ecclesiae, cui sunt addicti ?

VIII. An liberum sit Canonico Rectori, quandiu hoc munere fungitur, statuere pro arbitrio Calendarium Cathedralis pro Calendario Ecclesiae et Districtus Missionarii, sive quasi Paroeciae, cui, ut supra praeest, ne scilicet Missa ab Officio discrepet ?

IX. Utrum Officium Vesperarum Dominicis festisque diebus publice decantari solitum, ordi-

nandum sit iuxta Calendarium Ecclesiae, in qua persolvitur: an potius concordandum cum Officio privatim recitando a Rectore Ecclesiae, partes, ut plurimum, hebdomadarii agente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque mature perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Negative.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Calendarium Dioecesanum adhibendum est.

Ad VI. Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Atque ita rescripsit. Die 4 Februarii 1898.

C. Card. Mazzella *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*

D. Panici *Secretarius.*

VII.

DUBIUM.

R. P. Petrus Blerot e Congregatione SS.mi Redemptoris et director generalis Archiconfraternitatis a Sancta Familia nuncupatae, quae Leodii in Belgio anno 1844 canonice erecta, ti-

tulo Archiconfraternitatis anno 1847 ab Apostolica Sede decorata fuit, a Sacra Rituum Congregatione, de expresso consensu plurium R.morum Antistitum, sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum: Utrum, attentis decretis a Sacra Rituum Congregatione editis relate ad recitationem Litaniarum, continuari possit consuetudo, qua sodales praedictae Archiconfraternitatis in congressibus, ad quos in Ecclesiis et Oratoriis publicis, etiam ianuis clausis, ipsi soli admittuntur, et extra functiones liturgicas, non privatim sed communiter recitant quasdam Litanias, gesta et exempla Sanctae Familiae, a qua nomen habent, referentes et a plerisque R.mis Ordinariis approbatas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque accurate perpensis, proposito dubio respondendum censuit: *Servetur decreta, non obstante consuetudine.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 11 Februarii 1898.

C. Card. Mazzella *Ep. Praenestinus*
L. ✠ S. *S. R. C. Praefectus.*
D. Panici *Secretarius.*

VIII.

DUBIA.

Praeter tres Litanias pro usu publico in universali Ecclesia approbatas, h. e., Litanias Sanctorum, Litanias B. M. V., et Litanias Ss.mi

Nominis Iesu, peculiares quaedam Litaniae habentur ex. gr. de Sacratissimo Iesu Corde, Purissimo Corde B. M. V., aliaeque ab uno vel altero R.mo Ordinario pro usu tantum privato approbatae, quae idcirco neque in Breviario neque in Rituali Romano continentur.

Quaeritur 1.° num eiusmodi peculiares Litaniae ita strictim prohibeantur, ut Monialibus sive religiosis Institutis non liceat illas privatim canere vel recitare ad instar precum oralium?

2.° Et quatenus *negative*, num iisdem religiosis Familiis illas liceat canere vel recitare communiter in Choro, aut respectivo Oratorio?

3° Item quaeritur num peculiares eiusmodi Litanias liceat Fidelibus in publica Ecclesia sive privatim sive communiter cantare, vel rerecitare ad modum quarumcumque precum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, omnibus in casu perpensis, ita rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Negative*, h. e., ita strictim non sunt prohibitae, ut singulis privatim eas non liceat cantare, vel recitare.

Ad II. *Affirmative*, h. e., ita strictim prohibentur, ut communiter in Choro publico, vel publico Oratorio illas Litanias cantare vel recitare minime liceat.

Ad III. Ad I. partem h. e., privatim, *Affir-*

mative: ad II. partem h. e., communiter, *Negative.*

Atque ita rescripsit, et servari mandavit. Die 11 Februarii 1898.

C. Card. Mazzella *Ep. Praenestinus*

L. ✠ S. *S. R. C Praef.*

D. Panici *Secretarius.*

QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

SUPER SACRIS RELIQUIIS.

III.

Titius Sacerdos nuper a suo Episcopo cuiusdam parochialis Ecclesiae Rector nominatus fuit. Admiratione autem captus est, quod inter pretiosas Reliquias, quae in sibi commissa asservabantur Ecclesia, pretiosiorem conspexit, nempe integrum cuiusdam S. Confessoris cor: quod magna licet veneratione habitum, nullo tamen liturgico cultu ea in Ecclesia gaudebat. Eapropter, vix audito Episcopo, quin S. R. Congregationem consulat, statim de ea Reliquia, quam certo insignem esse contendit, liturgicum festum instituit cum Officio et Missa de Communi, uti in supplemento, seu Breviarii, seu Missalis prostat. Anceps autem haerens super ritus qualitate, quo novum festum decorandum

sit, consilio capto a quodam Caeremoniarum magistro, duplex maius esse posse iudicat, sub eoque festum in calendario notat, affligitque Dominicae III Octobris, de consensu Episcopi, ut solemnitatis ipse populus magis particeps fiat. At animadvertens postea, de eodem Sancto iam in calendario universali festum in die natali agi, scrupulis angi incipit, dubitans, num quae egit sibi necne licuerint. *Quaeritur:*

1.° *Utrum festorum liturgicorum institutio, praeter natalem diem, ratione Reliquiarum, ab ipsa primaeva Ecclesiae aetate incoeperit?*

2.° *Utrum Reliquia, de qua in casu, insignis sit? Et an Episcopus valeat eiusmodi festum indicere, quo ritu, qua die, an potius requiratur facultas S. R. Congregationis?*

3.° *Quomodo Titius iudicandus, omnibus perpensis in casu expositis?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Gabrielis Scarafia Almi Collegii Capranic. alumni, habita in Ecclesia Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 29 Decembris 1897; acta Epitoma per R.mum Dom. Alphonsum Carinci Apost. Caerem. Magist.

I. Utrum festorum liturgicorum institutio, praeter natalem diem, ratione Reliquiarum, ab ipsa primaeva aetate Ecclesiae incoeperit?

Festa ab Ecclesia catholica instituta in duas classes omnino inter se distinctas dividi possunt: prima est

eorum, quae relationem directe habent cum doctrina religionis et dogmate, mysteriorum, quae horum sunt partes, celebratione ; altera eorum, quae indirecte in Deum intendunt, cultu recta in Martyres, Confessores aliosque Sanctos adhibito. Marangoni, in opere « Delle cose gentilesche e profane trasportate ad uso e ad ornamento delle Chiese » *Cap.* XXX, disputat. an in celebratione festorum Sanctorum, aliquid inveniatur a gentilitate derivatum, et opportune notat, originem festorum generatim in ipsa divina lege in Sina Moysi data inveniri ; non tamen peculiariter inveniri institutionem cuiusdam diei festi ad memoriam recolendam alicuius ex sanctis Patriarchis et Prophetis, haud excepto ipso Moyse, tam Deo accepto. Huius rei causa in hoc, prout aiut Sancti Patres, extitit, quod, cum esset populus Hebraeorum valde ad idololatriam proclivis, illum tamquam Deum adorasset, victimasque et sacrificia obtulisset. At quando venit plenitudo temporis , quo fidei lumine per Dei Filium allato, ignorantiae tenebrae dissipatae sunt, fuit profecto maiestati divinae conveniens, quod homines honore quoque prosequerentur Servos Dei fideles, sed dispari cultu, quo nempe nil divinae magnitudini detraheretur, quinimo augeretur decus.

Sed longe ante invectam legem gratiae, diabolus ipse inter gentes festivos suaserat recolendos dies in mortuorum honorem. Non enim illi satis fuit caelites quosdam excogitasse, sed et homines defunctos inter Deos locari voluit, opinionem ingerens, virtute quadam divina esse praedita eorum sepulcra. Hinc coluere Graeci Bacchum, Herculem, Aesculapium, Apollinem ; Aegyptii Isidem, Osiridem, etc, Nec stetere Romani quin et magnam sibi viderentur assumpsisse religionem, quia nullam respuebant falsitatem ; qui etiam alium induxerunt ritum, collocandi nempe inter Deos scelestissimos adhuc suos Principes et Imperatores.

Instituit praeterea gentilitas solemnia festa, statis diebus, celebranda magno luminum, oblationum, sacrificiorum et ludorum apparatu, non exceptis conviviis, et donariis ad plebem ; nil splendidius, nil iucundius, nil voluptuosius.

Sancti Evangelii lumine his tenebris pulsis, placuit Deo in Ecclesia festorum genus introducere longe honestius et commendabilius eo , quo usa est gentilitas , ac prorsus sanctum , quod est in laudem servorum suorum. Initio nonnisi de Martyribus actum est ; primitiae illae christianorum in Martyrum occubitu gloriabantur, et merito, sciebant enim sanguinem Martyrum semen esse Christianorum, quot Martyres, tot praecones ; sanguis testimonii Ecclesiae aedificium compaginabat. Dies mortis anniversarius celebrabatur sacris Mysteriis super ipsa sepulcra libatis ; hinc fides coagmentari, hinc animum ad exempla fortiter allici (*V.* Marangoni, *loc. cit.*). Sanctorum festivitates ab ipsis Apostolis introductas fuisse et a viris apostolicis auctas , dubitari nequit; verumtamen prioribus saeculis, praeter mysteriorum Christi, nonnisi Martyrum festa celebrari consuevere, inter quae, primum in Stephani Protomartyris honorem (Baronius, *an. 45, n. 87 et seqq.*). S. Prudentius, qui post medium quartum saeculum floruit meminit, ad festa singulorum Martyrum, quae populus suo aevo colebat, romanam omnem civitatem, cum proximis provinciis, convenisse ad Deum adorandum in eorum sepulcris, et ad illorum Reliquias osculandum.

Ceterorum Sanctorum cultus, quarto Ecclesiae saeculo inceptus putatur (Bened. XIV, *De Canoniz. Sanct. l. I, c. V.*).

Pro Sanctis Martyribus in primaeva Ecclesia non poscebatur miraculorum testimonium ad cultum inducendum, sed satis erat legitime constare de fidei confessione consummato martyrio ; constare tunc dicebatur, cum acta

recognoscebantur a Primatibus Provinciarum, consultis Episcopis (1).

Cum primum cultus etiam in Sanctos homines, heroicis gestis celebres, quamvis martyrio non consumptos, referendus visus est, sategere scriptores in iis ostendere similitudinem et merita Martyrum. Hinc intelligitur cur Sancto Martino Turonensi Episcopo, post Martyres omnium Confessorum primo, officium proprium etiam cum octava in vetustis ecclesiasticis libris datum fuerit, et, ut nonnullis opinio est, in eius honorem Altaria et Ecclesiae dicatae, saltem in Occidente. Nec mirum est, populos prae ceteris honore prosequutos esse Sanctos, qui eodem loco vitam duxerunt, unde actus quilibet notus extitit, quorum exuvias propriis aspiciunt oculis, et sepulcrum facillime frequentant (2).

---

(1) Antiquius huius rei exemplum in eo habetur, quod actum est ab Episcopo Tagastae, ut refert Augustinus, qui acta Martyrum Mensurio Carthaginensi Episcopo obtulit ; unde Optatus Milevitanus narrat, Lucillam, Donatistarum patronam, a Caeciliano Archidiacono Carthaginensi reprehensam fuisse, quod ante communionem adoraret et oscularetur Reliquias Martyris cuiusdam non adhuc canonizati. Vocabatur Martyr vindicatus, qui rite recognitus venerari poterat. Altaris erectione super sepulcro, Sacrorum celebratione, Ecclesiae seu Oratorii dedicatione tunc canonizationis caeremonia perficiebatur, qua nempe publicus cultus decernebatur (Sarnelli, *Lett. eccles. T. II, p. 75* ; V. Acta S. Ignatii M.: Epistolas Ecclesiae Smyrnen. pro Martyrio S. Polycarpi : Baronium, *an. 166*, ubi ait S. Pium I scripsisse Iusto: *Martyria Sancta Spiritu Sancto proba.*).

(2) Populi voce et eius devotione tum canonizabantur Sancti viri eximia virtute fulgentes : sed ob eorum multitudinem cum recoli omnes singulatim nequirent, Bonifacius IV iussit, ut Romae die prima Novembris festivitas omnium Sanctorum celebraretur. Deinde Gregorius IV eam ad totum Occidentem ex-

Dies festus in honorem Sanctorum vocatur *natalis* seu *natalitius*, eo quod, iuxta Tertullianum *(lib. 6. de coron. milit.)*, eo die, Sancti terram deserentes nascuntur coelo ad vitam immortalem. Pro Sanctis Martyribus natalis dies est, ait Eusebius Emessenus *(hom. 50 in Gen.)* (1) ille in quo *martyrii rita et gloriae fides dum eos ingerit morti genuit aeternitati, et perpetua iis gaudia brevi dolore parturiit;* pro Sanctis Confessoribus est transitus seu depositio, quia nimirum eo die *de terra in coelum abierint, de dolore ad requiem, de tentationibus ad quietem, de cruciatibus ad delicias non fluxas sed fortes et stabiles et aeternas* (S. Petrus Chrysologus, *Serm. 129*). Sed praeter festa Sanctorum ob eorum natalem, haud raro accidit alia quoque celebrari, aliis sub titulis ac nominibus (V. Guyet, *Heortologia lib. I, cap. VIII*); unde videndum remanet, an inter haec extent nec ne ulla, ad hoc instituta, ut commemoratio fiat alicuius peculiaris eventus, relative ad Corpus vel Reliquias eorumdem Sanctorum.

Certum est Reliquiarum cultum probatum ab ipso Ecclesiae exordio fuisse, iuxta morem iam antiquitus a Sanctis Patriarchis servatum. Moyses *(Exod. 13)*, transtulit ossa Patriarchae Ioseph ab Aegypto per desertum in terram promissam; corpus Prophetae Elisaei *(4 Reg. 13)* solo contactu mortuum resuscitavit; Deus ipse honorare voluit ossa Moysi *(Deuteron. cap. ult.)*. David benedixit habitatoribus Galaad, ob honorem ab iis exhibitum in Sauli corpus; Iosias *(4 Reg. 23)*, cum iussisset ut idola destruerentur et ossa cultorum eorum dispergerentur, servata voluit

---

tendit. Alii vero putant Gregorium IV auctorem fuisse festi omnium Sanctorum, dedicatione facta unius Cappellae in Ecclesia S. Petri sub invocatione eorum. Graeci omnium Sanctorum solemnitatem agunt Dominica prima post Pentecosten.

(1) Aut potius *Eucherius Lugdunensis.*

ossa nonnullorum Prophetarum. His aliisque testimoniis Sanctorum Patrum, apud Bellarminum (*De Reliquiis Sanctor. l. 2, c. 3*), comprobatur cultum Reliquiarum esse ex antiquissima traditione, ipso aevo Apostolorum servatum; unde mentiuntur calumniatores haeretici et protestantes, asserentes introductum in Ecclesia saeculo V. Concilium Nicaenum II, anno 787, damnavit eos, qui Sanctorum Reliquias nollent venerari; Summi Pontifices et plura alia Concilia (v. gr. Gangrense, ante an. 1200, *can. ult.;* Carthaginense V, can. 14; Braccarense III, can. 5; Epainense, can. 25; Moguntinum, can. 51; Lateranense sub Innocentio III, cap. 62; Turonense sub Nicolao I, c. 61; Tridentinum, passim) eumdem cultum promoverunt. Labbaeus (*T. 2, p. 350, c. 62 Concil.)* compendia refert constitutionum veterum Ecclesiae orientalis, quibus praecipitur ut deponantur in Ecclesiis et Monasteriis corpora Sanctorum Martyrum et omnium aliorum, qui feliciter decertarunt in fidei defensione, ut eorum pretiosae Reliquiae, levamen ferant aegris, languidis et ceteris aliquo indigentes auxilio; agatur insuper quotannis eorum memoria; ne considerentur ut mortui vulgares, sed maximo afficiantur honore, uti amici Dei et corona Ecclesiae.

Legitur in memoria «Sulla *capsella* argentea africana» donata SS. D. N. Leoni Pp. XIII ab E.mo viro Card. Lavigerie Archiepiscopo Carthaginensi, a cl. De Rossi conscripta, cap. V, quod, usque a saeculo IV historiae et scriptores, expresse meminerunt parvarum capsarum ex argento sive ex alia materia, quarum usus erat ad sacras Reliquias includendas et sub Altaribus deponendas in horum *dedicatione*. Maxima fuit cura fidelium priorum temporum, sepeliendi integra corpora Martyrum, collectis adhuc sparsis ossibus et cineribus, quod et ipsi saepe Martyres poscebant; at quarto Ecclesiae saeculo, et adhuc ultimae persecutionis tempore, fideles interdum, devotio-

nis causa, praecipue in Oriente, hanc praxim neglexerunt. Pars quaedam cinerum praeclarissimorum quadraginta Martyrum Sebastae ab iis qui eos e rogo sustulerunt retenta fuit, et, iam a prima saeculi IV medietate, divisa et distributa inter diversas Asiae, Ponti et Thraciae partes, postmodum etiam Italiae. Unde patet iam tum extitisse consuetudinem ex uno in alium locum transferendi Reliquias Sancti, cuius memoria venerabatur, quod sane originem duxit ex impulsu omnino naturali et religioso. Si sanctus aliquis Episcopus mortem obiisset pro Christo, longe a sua sede, nil mirum, quod eius subditi, tamquam piissimi filii, possidere cupientes pretiosas patris Reliquias, eas exposcere rati sint, ut e loco martyrii ad propriam Ecclesiam restituerentur. Ita anno 107 Reliquiae S. Ignatii Antiocheni Episcopi, Romae martyrio consumpti, translatae sunt veluti triumphaliter Antiochiam, atque a fidelibus receptae tamquam inaestimabile thesaurum, uti referunt acta martyrii. Si laicus quoque martyrii corona laureatus obiisset, tanta veneratio cum pari desiderio concives capiebat, et quasi naturali instinctu virtuti hanc laudem hi reddere conabantur, ut negligendas sacras Reliquias non permitterent. Quod alacriori actum est animo, cum Deus ipse visus est gloriam sacris Lipsanis reddere, miraculis ad sepulcra patratis. Cum barbaricae incursiones christiani nominis provincias grassarentur ac Templa pervaderent, incenderent, nova data fuit occasio Reliquias transferendi, ne paterentur nimirum fideles sancta dare canibus: abscondebantur autem, ut plurimum, in Monasteriis, mediis in silvis, aliisque tutis in locis. Saepe, periculo cessante, suis locis restituebantur; non semel ob Reliquiarum tuendam possessionem bella et seditiones exortae sunt (Cfr. Fridericus Haltan e Comitibus Salvaroli, apud Calogerum, Opuscoli T. 46, p. 201. *In quoddam altare portatile epistolaris dissertatio*).

Mos fuit primitivis Christifidelibus processiones peragendi occasione translationum Reliquiarum sanctorum Martyrum, et Theodoretus (Histor. eccles., *l. 3, c. 10*) loquitur de quadam celebri processione anno 362 peracta, cum Reliquiae S.ti Babilae Mart. et Episcopi Antiocheni translatae sunt e suburbanis Daphnae, ubi a Gallo Caesare locatae fuerant ad vitanda miracula ab eo habita ut superstitiosa, ad Antiochenam Ecclesiam ubi primitus venerabantur. Antiquius fuit in Oriente mos Sanctorum corpora et Reliquias transferendi, qui et ipso persecutionum tempore viguit; sic anno 107 S. Ignatii corpus Antiochiam delatum, S. Onesimi vero Ephesum, iam suam Ecclesiam, anno 118. Assentientibus autem Episcopis, instantibusque Imperatoribus, sacra ac triumphali pompa Constantinopolim delatae sunt Reliquiae S. Andreae Apostoli, S. Lucae Evangelistae, S. Samuelis Prophetae, S. Timothei, tempore Constantini I, ut S. Hieronymus testatur contra Vigilantium, qui cultum religiosum Martyribus eorumque Reliquiis adhibitum vituperabat, veluti idololatriae actum, et tamquam diabolicas fraudes et versutias miracula ad eorum sepulcra edita. Illae sacrae exuviae psallentibus et plaudentibus populis per civitates et pagos ferebantur, et a succedentibus sibi invicem Episcopis gestabantur, clausae in *serico et vase aureo* (V. De Rossi, *loc. cit.*, S. Hieron., *adv. Vigilant.*; Paulin. Nolasc., *Carm. XIX*, v. 329, etc.). Non secus actum est erga Reliquias Protomartyris S. Stephani, saeculo V, *quae populos psallentes et cereos et luminaria cum grandi celebritate gestantes* inveniebant (*De miraculis S. Stephani, I, 2.* Migne P. L. XLI *p. 835*). Diaconus a Gregorio Turonensi missus ad recipienda *sanctuaria*, seu *palliola* Apostolorum et Martyrum, quae Romae distribuebantur fidelibus a longe venientibus, ad eorum sepulcra visitanda, Roma proficiscens, *cum grandi psallentium vel clericorum officio ac populi*

immensi obsequio usque ad portam deductus est (Greg. Tur., *De gloria Martyr. I*, 83). Quando, anno 550, a Iustiniano reaedificata Basilica Apostolorum Constantinopolitana, encaenia solemniter celebrata sunt, *transiit Menas Episcopus cum Sanctis* Lipsanis *sedens in carruca aurea imperatoria, lapidibus insignita, tenens tres thecas in genibus suis* (Paul. Diac., *Hist. misc. XVI.* — Du Cange, *Constantinop.*). Clarissimus De Rossi (*loc. cit., C. V, p. 33*) describit pretiosum eburneum opus in quo processio repraesentatur encaeniarum novi templi, ob oculos ponens triumphalem pompam translationis Reliquiarum.

Antiquissimus ergo est cultus Reliquiarum ; ab ipsis Christianae religionis incunabulis ortum habuit, et quasi quaedam fidei professio fuit in futuram resurrectionem. Constans et profunda fuit veneratio fidelium in sacras Reliquias, et in harum honorem erexere Altaria et Templa ; semper Ecclesia eiusmodi cultum fovit, permittens et commemorationem liturgico festo et indulgentiarum praemio. Sed prioribus saeculis, si quae Reliquiae haberentur, Sancti venerabantur eorum die natali, nec traditum est, aliud ratione Reliquiae festum celebratum fuisse. Labente vero aetate plurima inveniuntur instituta festa Reliquiarum causa, praeter diem natalem, et non extat Ecclesia, imo, iuxta Guyetum, non extat fere Sanctus, de quo aliqua non celebretur translatio. Habentur praeterea festa Inventionis, Elevationis, Relevationis, Reductionis, Relationis, Reservationis, Repositionis, Susceptionis Reliquiarum seu corporum, et similia (Guyet, *loc. cit. q. 1, 2 et 3*). Inquirit praefatus auctor, num talium festorum celebratio sit nec ne legitima. Respondet : « Perquam legitima cum et usu Ecclesiae cuiuslibet antiquissimo eoque continuo firmata sit, a quo proinde nulla lege, imo non sine gravissima causa usquam recedendum iura omnia pronunciant, et in multis etiam constet de statuto Anti-

stitum seu Conciliorum, quo eiusmodi festa primum ordinata fuerunt, ut patet in . . . festis Subventionis et Reversionis S. Martini, cuius utriusque mentionem facit Odo Cluniacensis in Epistola ad Fulconem, qui et postremum hoc asserit ab Adalando Archiepiscopo Turonensi et Comprovincialibus Episcopis constitutione Synodali anniversario deinceps ritu iussum fuisse observari. Est item mentio festi Receptionis eiusdem S. Martini in Concilio primo Turonensi habito sub S. Perpetuo anno 482, quam quidem solemnitatem minus accurate Cardinalis Baronius interpretatur de Translatione e priori loco perangusto in ampliorem Basilicam, cum revera accipienda sit de ipsamet corporis in urbe receptione, quando videlicet, statim post sanctissimi Pontificis obitum, orta Pictavienses inter ac Turonenses controversia, singulisque illud sibi vindicantibus, Turonenses clam ablatum atque navigio impositum in suam civitatem devexerunt. Hanc autem festivitatem a Translatione plane diversam esse, vel ex ipso Concilii textu certissime constat, quippe habitum fuisse memoratur 18 Kal. Decembris cum Translationis festum 4 Nonas Iulii perpetuo semper usu celebratum sit. Porro etsi festum illud Receptionis iam in usu non sit, ac esse pridem desiterit, forte quod cum infra octavam praecipui festi, videlicet Transitus eiusdem S. Martini, incidat, visum est sufficienter ipso octavae officio perfici ac compleri, ex eo tamen firmatur maxime quod intendimus, usum videlicet fuisse olim receptissimum festa eiusmodi secundaria in honorem Sanctorum instituendi ac quotannis celebrandi (*loc. cit. q. 5)* ».

Concludimus ergo nullimode posse praecise determinari tempus originis festorum liturgicorum in Sacrarum Reliquiarum honorem *praeter natalem diem*, sed certum esse talia festa iam viguisse saeculo V, uti manifestum fit e festo S. Martini, sub titulo Receptionis, quemadmo-

dum superius diximus (V. Guyetum *locis cit.* de pluribus eiusdem generis festis a saeculo V invectis variis in Ecclesiis).

II. *a)* Utrum Reliquia, de qua in casu, sit insignis?

Reliquia ethymologice, uti iam diximus, est id quod remanet de aliqua re, sensu autem ecclesiastico et sacro, directe respicit corpora Sanctorum aut partes eorumdem. Reliquiae dividuntur in insignes, notabiles et minutas. Priores gaudent praerogativa festi liturgici, die natali Sancti, ad quem pertinent, colendi, cum officio nempe et Missa in Ecclesia in qua asservantur. Anno 1617, die 3 Iunii, sancitum est, ad effectum recitandi officium, Missamque celebrandi « necessarium esse ut Reliquia sit insignis illius Sancti, de quo celebrare petunt officium, veluti corpus integrum, aut magna pars eiusdem, aut caput. » At quia dubitari adhuc poterat, quid pro *magna parte* intelligeretur, hoc generali Decreto definitum est die 13 Ianuarii 1631 : « Reliquias insignes esse caput, brachium, crus aut illam corporis partem in qua passus est Martyr »; addita tamen pro hac parte triplici conditione: dummodo sit *integra*, *non parva* et legitime ab *Ordinario approbata*. Haec porro sensu adeo strictu accipi debent, ut, quamvis tibia sit os praecipuum cruris, tamen S. Congregatio die 3 Iunii 1662 declaraverit non esse insignem Reliquiam. Et sane, iuxta eamdem Sacram Congregationem, ut crus recenseri possit inter insignes Reliquias, esse debet integrum, nunc autem alterum os, crus constituens, deest in casu. Hinc neque os femoris dici poterit Reliquia insignis. Quod autem a S. Cong.ne sic limitata fuerit festi instituendi ratio ob Reliquiarum possessionem, prudenti factum est consilio, ne nimirum officia Sanctorum multiplicarentur in detrimentum ferialium et dominicalium officiorum, ac ut aliis obviam iretur incommodis. Addidit insuper S. Congregatio alias conditiones, quod nempe Reliquiae essent de *Sanctis*

canonizatis ac in *Romano Martyrologio descriptis*, et ne officium ad alias Ecclesias extenderetur, praeter illam quae Reliquiam possidet (*Dec. cit. et 8 April. 1628; 6 April. 1658; 17 April. 1660, 11 Aug. ac 19 Oct. 1691; 23 Mart. 1771*, etc.). Unde S. R. Cong.nis Decreta servanda sunt prout initio Breviarii ex Urbani Pp. VIII iussu habetur: « Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus aut illam partem corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva et legitime ab Ordinario approbata (*13 Ian. 1631*). »

Nunc vero, cum de lege positiva agatur, dicendum videtur, cor alicuius Sancti non esse habendum ut Reliquiam insignem, eo quod a S. Congregatione inter eas non recenseatur. Verum, quamvis legitima videatur haec illatio, observandum est legem a S. Congregatione latam, prout omnes generales leges, non respexisse nisi, quae ordinario evenire solent, et in casu nostro, ut plurimum humani corporis integra servantur tantummodo ossa, si ergo aut naturali quadam ex causa, aut ex divinae potentiae miraculo alia pars integra perseveret, non illico excludenda est ab insignium Reliquiarum elencho, sed examen instituendum an haberi debeat veluti insignis necne. Ceterum ius liturgicum positivum non laederetur in casu; etenim S. Congregatio non recenset insignes Reliquias taxative seu numerice, sed declarative. Unde cor, lingua, cerebrum, nobilissimae humani corporis partes, si integrae perseverent eo vel magis si accedat prodigii aliquod signum, profecto inter insignes Reliquias haberi queunt. Sed et omnis ambigendi causa mox auferetur, cum nempe nova Decretorum Collectio prodibit, in qua Decretum invenietur declarans *Cor* Reliquiam insignem.

b) An Episcopus valeat Reliquiae, de qua in casu, festum indicere, quo ritu, qua die; an potius requiratur facultas S. R. Congregationis?

Ordinarius, cui competit ius recognoscendi et approbandi Reliquias, declarare valet, arbitramur, partes de quibus loquuti sumus, esse insignes, si omnia nempe concurrant, quae in casu requiruntur. Nunc autem insignis Reliquia ius habet ad Officium et Missam, si rursum omnia concurrant, quae ad rem statuerunt Decreta; ritus autem, ex Decreto S. R. C. diei 23 Novembris 1602, erit *duplex;* celebrabitur vero *die festo* eius Sancti, de quo Reliquia insignis possidetur, quin Sacra Congregatio exquiratur, quae facultatem generalem concessit. Scimus autem aliunde (*Decr. 2 Octob, 1683*), quod « Quando pro aliquo festo, vel officio concessus reperitur ritus duplex, absque expressione maioris vel minoris, concessio intelligitur facta de *duplici minori* ». Ad maiorem rei intelligentiam meminisse iuvabit, quod eadem S. Congregatio definivit, die 28 Novemb. 1682 : « Dies natalitii hi omnes habendi sunt, qui licet vere non sint dies obitus, tamen ex Decreto Apostolico, assignati sunt festivitati alicuius Sancti veluti fixa et veluti propria eorum sedes. Praeterea observandum est quod Sancti, cuius Reliquia insignis habetur, fieri non solet bis Officium, primum scilicet, quia v. gr. in Calendario describitur, iterum vero quia Reliquia possidetur. Quamvis enim in utroque casu titulus haberi videatur adaequatus, ad officium recitandum, tamen, uti recte docet Cavalieri (*T. I, cap. IV, Decr. 1*) consuetudo ecclesiastica id non sinit, ideoque, secluso privilegio, celebrari nequit. Ita pariter opinatur Gavantus dicens : (Comment. Rubr. Breviar., *in praelimin. Cap. 2, n. 26*), absque speciali Indulto, non posse Officium recitari et die festo, et iterum die Translationis (V. et Scarfantonum, *I. P. lucubr. can. lib. 2, tit. I, n. 14*).

III. Quaeritur tandem quomodo Titius iudicandus, omnibus perpensis in casu expositis ?

Titius admiratione captus, eo quod in sibi commissa

Ecclesia nullo liturgico cultu gaudebat integrum S. Confessoris Cor, de hac Reliquia festum liturgicum instituit. Quomodo de hoc iudicandus ? Nullimode reprehendendus fuisset, si de festo ratione Reliquiae iuxta Rubricas et Decreta instituendo curam sumpsisset, quia Reliquia in casu haberi poterat insignis ; nec deerat Episcopi approbatio, ut patet ex casus expositione. Sed cum in Calendario universali iam Sanctus conscriptus inveniretur, nonnisi in ritu, qui duplex conceditur ratione insignis Reliquiae et in *Symbolo*, festi maior solemnitas consistere poterat. Unde erravit : 1. festum , quamvis de consensu Episcopi , Dominicae III Octobris affigendo , non enim erat *natalitius dies* , et opponebatur S. R. C. Decretum diei 3 Iunii 1662, quo declaratur : « Episcopus non potest statuere diem Dominicam ad celebrandum festum alicuius Sancti , de quo asservatur Reliquia insignis. 2. Officium et Missam de *Supplemento* Breviarii et Missalis eligendo, non agebatur quippe de *festo Reliquiarum* in genere , quod respicit dictum Officium et Missam , sed de Sancto particulari , cuius habebatur Reliquia ; unde Officium et Missa esse debebant vel propria si ita esset in Breviario et Missali, vel de Communi Confessoris. 3. Ritum ad *duplicem maiorem* elevando , opponuntur enimvero Decreta , quae non sinunt celebrari in casu , nisi sub *duplici minori*. Errore demum patrato , animadvertens de eodem Sancto iam in Calendario universali festum in die natali agi, alterum festum abolere debebat, contentus, uti iam diximus , festum evehere ad ritum *duplicem minorem* si simplici vel semiduplici prius gavisum esset, *Symbolumque* addere in Missa.

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

1. *E Sabaudia.* **De festo titulari Ecclesiae B. in die octava divi Laurentii non celebrando.** Ecclesia B. dicata est divo Mamanti Mart. cuius festum agitur die 17 Augusti, quae est octava s. Laurentii M. Quaeritur: An dictum festum titulare die sua sit agendum cum com. Octavae, an potius transferendum? Si prius, die 24 Aug. est ne celebranda eius octava, et festum S. Bartholomaei transferendum, an potius agendum de S. Bartholomaeo cum com. octavae divi Mamantis?

Resp. Reponimus sequentes animadversiones el. Consulenti exhibendo. 1. Explicatum est, diem octavam occurrentem cum duplici min. et maiori, huic praevalere; sed eamdem occurrentem cum duplici II, aut I classis, his non praevalere, sed cedere debere officium suum: de hoc non dubitandum, cum Rubricae et tabella occurrentiae manifeste loquantur. 2. Hisce haud obstantibus, inquirimus: lex ista num de occurrentia perpetua intelligenda est, uti de temporanea? En quaestio, quam negative resolvere cogimur: ut lex Rubricalis intelligi debeat tantum de temporanea, non de perpetua. Consequenter tenemus, diem octavam, duplici I vel II classis, perpetuo impeditam, ex generali lege, non esse ad instar simplicis redigendam. 3. Sane, Rubricae exigunt, uti occurrentiae tabella; duplex minus vel semiduplex cum alio festo potioris ritus occurrens, non esse transferendum, sed ad instar simplicis redigendum. Verum lex ista vim habet in occurrentia temporanea, haud vero in perpetua. Ergo a pari, dies octava occurrens cum duplici I aut II classis ad ritum simplicem est redigenda, si accidentalis sit occurrentia, non vero si perpetua. 4. Si dicto sensu Ru-

bricae intelligendae sunt quod attinet duplicia Sanctorum, a fortiori eodem sensu intelligendae erunt quod attinet octavos dies; quia minus est inconveniens duplex aliquod Sancti perpetuo simplex reddere, quam diem octavam. Ratio patet, quia duplex sine octava nullam cum aliis diebus habet relationem, et festa simplicia plura habentur in Breviario Romano: dum e contra dies octava relationem intimam dicit suo principio, nempe diei festo, cuius est perfectio, quod satis imperfectum haberet finem suum. Ergo si lex vim habet pro duplici Sanctorum, a fortiori habere vim debet pro die octava. 5. Decreta non desunt praedicantia, dies octavos ad ritum simplicem non esse redigendos, si perpetuo occurrant cum duplicibus licet II classis. Decretum in *Segontina* d. d. 31 Maii 1883 respicit occurrentiam inter S. Petrum De Alcantara dup. II classis et diem octavam B. M. Virginis de Columna, et S. R. C. statuit, die 19 Octobris de die octava esse agendum, atque in primam diem liberam reponendum S. Petrum de Alcantara. Decretum in *Calagurritana et Calceaten.* edicit generaliter duplex II classis non esse diei suae restituendum, si haec impedita sit perpetuo a die octava (*13 Febr. 1892 ad XIX*). Hinc eadem quaestio in Academia Liturgica agitata nuper fuit post festum S. Annae ad duplicem II classis evectum. Presbyteri enim Cong.nis Missionis die 26 Iulii agunt de octava S. Vincentii a Paulo, translata S. Anna in diem sequentem. Et unanimiter convenerunt omnes, nihil esse immutandum, ne octava imperfecta relinquatur. Ergo die octava perpetuo occurrente cum duplici II classis, non est redigenda ad ritum simplicem.

His positis, respondemus, unum in casu ex duobus inconvenientibus necessario, comprobari: aut festum Titularis a die sua amovere, aut diem octavam ad ritum simplicem redigere. Eligendum ergo minus. Sed quale est

eiusmodi? Minus inconveniens censemus S. Mamantem die sequenti agere, ut ipse completam habeat Octavam suam, nec Octavam S. Laurentii deturbet. Hinc et festum S. Bartholomaei non impedit[ur] octava S. Mamantis, quae cum incidat in diem 25, intact[am] relinquit festum S. Apostoli. Nisi dicere velis, cal[cata] antiquitate, Sanctis in possessione dierum sa[crum] [per]ieri populique consuetudine inspectis, nihil esse [mu]tandum.

II. *Ex Algeria.* **De Oratoriis publicis et semipublicis quoad conformitatem Missae cum eorum Calendario.** Ex Decreto *S. Christophori de Acaua 23 Iun. 1893*) sequi videtur, Ecclesias dioecesanas, non proprias, fieri proprias Ordinum aut Congregationum: nonne idem dicendum de Oratoriis publicis aut semipublicis? Eo ipso enim, quo aliqua Congregatio vel aliquis Ordo, stabile assumit alicuius Oratorii servitium, illud videtur assimilari posse Ecclesiae, cui applicatur praefatum Decretum. Unde eveniret, ut Sacerdos dicto Oratorio addictus non celebraret in alieno Oratorio sed in proprio: adeo ut Missam posset conformem facere Calendario proprio.

Resp. Si dictorum Oratoriorum servitium ita ab Ordinibus vel Familiis religiosis assumatur, ut vel propria vel tanquam propria praefata Oratoria evadant, affirmative; secus, negative. In Decreto citato agitur de Ecclesiarum servitio ab Ordinibus vel Congregationibus assumpto, annuente, ut iure supponendum est, vel iubente Ordinario, cui Ecclesiarum destinatio pro exercendis ministerii competit. Dicitur autem pro eiusmodi servitio dictos Ordines remunerationem accipere a civili Gubernio. Ergo, ut patet, dictae Ecclesiae, propriae vel tamquam propriae evadunt relativorum Ordinum, a quibus earum servitium assumitur. Consequenter, si possident Calendarium proprium, hoc sequi debent, non dioecesanum, tam in officio quam in Missa: festis illis propriis dioecesis exceptis, ad

quae et ipsae religiosae Familiae in dioecesi degentes tenentur. At casus, ad quem extendere vellet Decreti dispositionem Rev. Consulens, satis est diversus, imo toto caelo ab illa differt. Ex quo enim aliqua Religiosa Familia onus suscipit unum vel alterum e suo gremio mittendi ad aliquod Oratorium publicum vel semipublicum alicuius servitii causa, puta pro Missa celebranda, non videmus quomodo inferri possit, dictum Oratorium eiusdem Familiae proprium vel quasi proprium evadere. Aliter oporteret dicere quamlibet Ecclesiam fieri illius propriam, quia in ea aliquod officium imo solam Missam facit, vel propriam religiosae Familiae, ad quam ille pertinere potest, et a qua in eam ex dicta causa mittitur: quod nimis est exorbitans. Haec proprietatis species in casu nostro acquiritur per auctoritatem Episcopi loci, Oratorium aliquod vel Ecclesiam alicui Familiae religiosae auctoritative attribuentis; hinc, per veram et strictam addictionem eidem Oratorio vel Ecclesiae etc. Quae profecto comprobari nequeunt quando Oratorium, vel Ecclesia, nulla ad Communitatem ratione pertinet, licet ex conventione aliquis vel plures ex eadem Communitate illam adeant Missas celebraturi, vel aliquas peracturi functiones: sive id fiat ex commissione Praelati domestici, sive Ordinarii. Concludimus: ut Missa conformis esse possit et debeat Calendario Celebrantis, necesse est ut Ecclesia uti possit et debeat eodem Calendario, quia lex est impraesenti, ut Sacerdos, Missam suam conformet Calendario Ecclesiae, in qua celebrat. Iam nunc Communitatibus, de quibus Decretum *S. Christophori*, Calendarium proprium sequi fas est, si habeant, illudque simul locum habeat in Ecclesia illis concredita et tamquam, consequenter, illarum propria. Comprobari ne id potest pro Oratoriis, de quibus Rev. Consulens inquirit, et de quibus loquitur Decretum Ord. Min. Capuccinorum 27 Iun. 1896 ad Dubium IV? Negative profecto, uti Dubium perpendenti facillime patet;

ergo *Sacerdos quoad Missae celebrationem addictus... Oratoriis competenti auctoritate erectis in Gymnasiis, Hospitalibus ac Domibus... piarum Communitatum*, sit *saecularis* sit *regularis tenetur* sequi Calendarium Dioecesis, *in qua extat Oratorium*, et non proprium, quia celebrat in Oratorio alieno et non proprio.

Nota. Non est locus symbolo ubi adest adoranda veritas: non contradicimus; sed utrumque stare posse non videtur inconveniens: ea praecise de causa, quia symbolum mentem allicit ad veritatem, non ab ea, per se saltem, distrahit. Verum si hoc haberetur inconveniens, certe consultius foret, ut sola staret veritas. Idem dicas de statuis atque imaginibus Sanctorum in eodem casu: Episcopi locorum iudicium ferent.

III. *Ex Oeniponte in Austria.* **De altera Missa Exequiali in die obitus.** Ex antiquissima consuetudine (duorum vel trium saeculorum) in loco quodam, peracta Missa exequiali in parochia, pro singulis defunctis (etiam pauperrimis) fere semper eadem quoque die in Ecclesia cuiusdam Ordinis, sed cuiusdam loci, alia adhuc Missa de requie cantari debet (sine dubio ex titulo Confraternitatis). Cantatur in altari Confraternitatis, et adest quoque ibi privilegium cantandi eas in hebdomanda, occurrente duplici (1). Missam de requie, atque in diebus classicis canitur Missa de die. Quaeritur: *a*) utrum ista Missa de requie cantanda sit cum tribus Orationibus, vel cum una (etiam extra diem tertium ab obitu)? *b*) num sumenda sit Missa quotidiana vel depositionis (etiam extra diem tertium)? *c*) num petendum sit privilegium supradicta licite peragendi?

Resp. Lex Decreti Generalis « **Orationum et sequentiae**

(1) Haec verba **occurrente duplici** addidimus in expositione, secus privilegium foret inutile: cl. Consulens omisit.

in Missis defunctorum » declarat, « Unam tantum dicendam Orationem in Missis omnibus, quae celebrantur in... die et pro die obitus seu depositionis, atque etiam in Missis cantatis, vel lectis, permittente ritu, diebus III, VII, XXX et die anniversaria... » Ex hac dispositione, recenti licet, sed satis superque iam nota, patescit: 1. Missam cantatam non solum, sed etiam lectas, quae diebus privilegiatis fieri possunt, cum una tantum Oratione esse dicendas: 2. Inter dies privilegiatos esse praecipuum, diem obitus: 3. Missas lectas, tam in die obitus (iis Missis exceptis, quae cum applicatione fiunt, si exequialis locum habeat), quam in aliis diebus privilegiatis, non posse locum habere, nisi ritus Ecclesiae eas permittat: 4. Ritu autem eas permittente, cum unica Oratione dicendas. Verum, si ex lege generali eiusmodi ritus Missas permittens est semiduplex vel simplex, inficiandum non est, ex lege indultiva particulari eas esse quoque posse permissas a ritu duplici. Atqui hic casus est noster; namque, uti in praemissis habetur, Ecclesia de qua agitur, gaudet Indulto cantandi Missam de requie bis in hebdomada, etsi ritu duplici occurrente. Iam nunc licet indubie, imo debet, celebrari Missa de requie, si locum habeat in semiduplici, et pro defuncto applicetur, cum unica Oratione, in omnibus et singulis diebus privilegiatis, et a fortiori in die obitus. Ergo indubie quoque licebit Ecclesiae indultum habenti, Missam in duplici cantare de requie, si pro defuncto applicetur, in die obitus, cum unica Oratione.

At obiicies: Hic agitur de Missa de requie cum cantu, quae una tantum esse debet, non duae; et reliquas esse debere privatas. Reponimus, id posse ad summum valere pro Ecclesia, in qua funus agitur; sed casus noster spectat Ecclesiam alteram, uti ex expositione dubiorum constat, licet eiusdem loci. Sed instabis: Missa de requie cum cantu, et privatae cum applicatione in sola Ecclesia

licent, ubi funus agitur, uti in solo Oratorio domestico, praesente saltem moraliter cadavere. Respondemus, id esse verum quando ritus Missas de requie non permittit, non vero quando permittit. Exploratum est enim Missas plures cum cantu et privatas optime fieri posse in quacumque Ecclesia, permittente ritu. Si ergo Ecclesia N. ritu non vetatur Missam cum cantu tali die facere, cuiusnam vi legis prohiberi poterit ab iis applicandis pro defuncto, occurrente eius die obitus? Nullius prorsus. Igitur licebit ipsi eiusmodi Missam canere; cumque eam applicare velit pro defuncto, occurratque dies obitus eius, cum unica Oratione prouti de iure eam celebrabit. Inferes, hanc Missam cum Sequentia quoque canendam esse, vi Decreti allati, uti in eius num. II, quod praetermisimus; sed hoc discussioni non subiacet, et legitime ex dictis sequitur.

Hoc tamen animadvertas, quod dicta Missa, uti pluries innuimus, die obitus vel depositionis, aut intra biduum, erit licita cum unica Oratione. Si vero extra eiusmodi tempus cantetur, plures Orationes habere debet, esset enim extra dies privilegiatos, ac proinde Missis quotidianis aequiparanda, nisi forte occurreret dies III, vel VII, vel XXX. Hinc patet ad singula quaesita responsio: nempe:

Ad *a)* Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, si intra triduum. Affirmative ad primam partem: negative ad secundam, si extra triduum.

Ad *b)* Negative ad primam partem: affirmative ad secundam, extra triduum. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, intra triduum.

Ad *c)* Negative.

IV. *E dioecesi Millevitensi.* **De incensatione facienda in Missis solemnibus, SS.mo exposito.** In omnibus Caeremonialibus statuitur incensationem dandam esse choro in quibuscumque missis solemnibus, exceptis defunctorum. In pluribus tamen huius Dioecesis Ecclesiis usus adest dic-

tam incensationem praetermittendi in missis solemnibus, quae « coram exposito » fiunt: propter reverentiam, uti dicunt, Sacramenti.

Quaeritur. 1. Utrum in missis solemnibus, quae « coram exposito » celebrantur, debeat praetermitti incensatio chori? Quid de consuetudine?

Resp. Vix quaestio institui potest super primo Dubio. Nam, sive Caeremoniale Episcoporum legas, sive Missale, sive Rubricarum omnes Expositores, sive Ecclesiarum consuetudinem, nescimus utrum auctoritas aliqua reperiri possit contra incensationem chori in Missis cantatis cum sacris ministris. Haec enim facienda praescribitur generalissima lege, et nusquam fit exceptio cum SS.mum Sacramentum solemniter habetur expositum. Caeremoniale autem peculiariter notat, quomodo se gerere debeat Episcopus in casu, sed de chori incensatione omittenda prorsus silet (*lib. I, cap. XII, n. 9*). Dum verba facit de Missa solemni pro defunctis explicite docet, solum Episcopum esse a Diacono thurificandum (*lib. II, cap. XI, 6*). Sed ne verbum quidem de omittenda incensatione chori coram Sacramento exposito. Quinimo Decretum habetur in *Patavina*, quod et in nova Collectione iure servatum est, d. d. 20 Nov. 1662, edicens: *thurificationem... cleri...* **exposito super altari SS. Sacramento**... *consueto more peragendam esse;* ergo manifesto supponit eam non esse in casu omittendam. Hinc auctores tradunt modum, quo caeremoniae in casu agendae sunt, ne in tantum Sacramentum deficiat reverentia. Hinc omni cum securitate ad propositum Dubium reponimus: Negative.

At dices: nonne reverentia in almum Sacramentum dictam incensationis omissionem videtur exigere? Sed respondemus negative. Ecclesiae ministri iudicare omnia debent, maximum esse ac primum in Deum reverentiae signum legum liturgicarum observantiam; nec plus ip-

sorum referre venerationem erga Christum solemniter sub speciebus panis expositum, quam Ecclesiae ferentis leges. Ceterum animadvertere oportet, thurificationem cleri populique non tantum in eorum honorem esse ab Ecclesiae incunabulis invectam, sed etiam ad maiorem ipsi Sacramento reddendum honorem et ampliorem gloriam, quae illi ex cordis nostri dispositione procedunt. Ad rem cl. De Herdt: « Praeterea incensatio clericorum et populi etiam considerari potest non tantum tanquam signum honoris, sed etiam admonitionis; thus enim accensum et fumans praedicat dispositionem necessariam, ut oblatio sacrificii ex parte ipsorum ascendat ad Deum in odorem suavitatis. Nam thus, quod in fumum odoriferum abit, dum igne crematur designat quam inflammatum igne caritatis et devotionis cor esse debeat, quamque ferventes Orationes, ut dirigantur sicut incensum in conspectu Dei: item quam necesse sit ubique spargere bonum virtutum odorem, ut sicut incensum Deo placeamus (*Prax. Lit. pars 2. n. 55,2*).» Facile inferes, non esse nobis facultatem dictam consuetudinem approbandi; quia contra Rubricas est Caeremonialis et Missalis; nec vergit, quidquid de apparentia et ex recta intentione ita se gerentium dici possit, in honorem cultus.

V. *E Curenna.* **De concursu Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli cum die octava dedicationis Omn. Ecclesiarum Dioecesis.** Mense Novembri vertentis anni, hic secundae vesperae Dedicationis Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli concurrunt cum primis diei octavae Dedicationis Omn. Ecclesiarum Dioecesis. Quaeritur: num vesperae sequenti modo recte ordinentur: « In Ecclesiis consecratis Vesp. de seq. Or. *Deus, qui incisibiliter*. In Eccl. non consecr. In 2. Vesp. Or. *Deus, qui nobis per singulos an.* com. seq. Or. *Deus, qui invisibiliter*.

Resp. Quod nimiae facilitatis est, primo innuimus,

inversum tenentes ordinem : dein quod discussioni subiacet, et gravem praesefert difficultatem. 1. Norma in iisdem Orationibus tenenda quando mutari debent, est ut prima ad festum principale pertineat : alteram vero mutandam assumat sibi festum minus principale. Hanc quoque exhibent regulam Generales Rubricae, quando agunt de commemorationibus mutandis ob identitatem ; et hanc quoque in mutandis Orationibus dictat rectus sensus liturgicus. Itaque in casu Oratio *Deus, qui nobis per singulos annos* erit pro festo ex duobus, qui integras habet vesperas, *Deus, qui invisibiliter* pro festo commemorando. 2. Vesperas in Ecclesiis benedictis esse tribuendas Dedicationi Basilicarum Ss. Petri et Pauli, non est dubitandum ; quia utrumque festum pertinet ad Dominum, sed Dedicatio Basilicarum declarata est festum primarium, dum Dedicatio Omn. Ecclesiarum pro iis quae tantum benedictae sunt, est secundarium. Ergo iuxta Rubricas recentius reformatas privilegio non gaudet praevalendi, in concursu, duplici maiori. Consequenter, citra omne dubium, recte dicet Calendarium : « Pro Ecclesiis non consecr. In 2. Vesp. com. seq. ». 3. At iudicium haud facile circa Vesperas ordinandas pro Ecclesiis consecratis ; nihilominus, quantum videmus, et ex dicendis demonstrare contendimus, affirmative reponimus. En ratio multiplex difficultatis. Habemus hic 1.° diem octavam Dedicationis, quae festum primarium est ; sed ex hoc deduci non potest ratio praecedentiae in casu, quia etiam Dedicatio Basilicarum primarium declaratum fuit. Habetur 2.° festum Domini ex parte diei octavae, quae consequenter, vi Rubricarum praevalet in concursu etiam duplici maiori : id quoque ceterum est animadvertendum, Rubricas eiusmodi privilegium festis Domini tribuentes fortasse supponere haec non concurrere cum alio festo Domini, uti facile perpendenti patebit : quod in casu non comprobatur, quia utrum-

que festum ad Dominum pertinet. Ergo praelatio diei octavae super Dedicatione Basilicarum inferri nequit, neque ex ritu, neque ex qualitate primarii, neque ex dignitate personali. Num proinde Vesperae dividendae? Non credimus; et aliam tenebimus viam pro veritate assequenda, en noster ratiocinandi modus. 1. Non solum in festis considerari debet dignitas personae, sed etiam dignitas festi, uti patet in primariis, quae vi Rubricarum recentius reformatarum, praevalent etiam secundariis quamvis dignitate personali potioribus. Atqui in casu habetur ex parte diei octavae festum dignius non ratione personae sed ratione ipsius festi; quatenus videlicet festum Dedicationis Ecclesiae propriae pertinet ad secundam categoriam, et nulli alii festo praevalet, solemnioribus tantum universalis Ecclesiae exceptis. Exploratum est autem, diem octavam dignitatem suam a festo desumere, cuius est complementum. Porro, si Dedicatio Basilicarum esset dup. 1 classis ex hypothesi, cum octava, nonne cederet etiam in concursu Dedicationi Ecclesiae propriae? Et utraque die octava concurrente, nonne octava Dedicationis Ecclesiae propriae praevaleret alteri diei octavae, utpote saltem minus propriae? Ergo, a pari, ipsum festum Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli cedere fas est diei octavae Dedicationis propriae Ecclesiae. 2. Certum est, Rubricas concedere diebus octavis festorum Domini, si primaria sint, privilegium praevalendi duplici maiori concurrenti. At idem privilegium non conceditur festis Domini, etsi ritus duplicis maioris, ergo. Hinc arbitramur, Calendarium recte ordinari si dicat: « Pro Eccles. consecratis Vesp. de seq. » Ita salvo meliori iudicio.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro S. Ioanne in Sabaudia.* Benedictiones liturgicae aliae sunt constitutivae, aliae invocativae. Primae cum res, quibus applicantur, in res sacras permanenter constituant, reiterari non possunt, nisi res pristinum statum amittant. Aliae vero cum non conferant esse sacrum rebus, quibus applicantur, reiterari possunt. Communiter benedictio Palmarum huic secundo generi accensetur; quapropter nihil prohibet, quominus una palma iam in antecedenti anno benedicta, iterum in sequenti benedicatur. Idem enim accidit etiam pro granis incensi in Sabbato Sancto (Cf. *De Herdt. S. Liturgiae Praxis*, Vol. 3, num. 290 et seqq.).

II. *Pro eod. loco.* Si in festo S. Marci Evang. et in diebus Rogationum Processio non fiat, Missa de Rogationibus non est dicenda. In Missa tamen principali, die 25 Aprilis, sive sit cantata sive lecta, quae de festo currenti dicitur, commemoratio Rogationum facienda est: diebus vero Rogationum, in omnibus Missis (Vid. Rubricam specialem *Missalis Romani* ad diem 25 Aprilis, Decr. 12 Nov. 1831 et *Ephemerides* an. curr. pag. 105).

III. *Pro eod. loco.* In Missa quae de festo vel officio currenti in casu dicitur, aut faciendae sunt aliae Commemorationes, aut aliquae Collectae imperatae. Hoc praenotato, regula generalis pro conclusione harum Orationum sic enuntiari potest: Si Missa quae dicitur talis sit ritus ut unicam tantum Orationem, nempe propriam, admittat, et nihilominus dicenda sit aliqua Collecta imperata, Orationes istae sub unica conclusione dicendae sunt. (1) Si vero in

(1) Inter has Collectas adnumeranda est etiam Commemoratio facienda de SS.mo Sacramento fidelium adorationi solemniter exposito: ideoque sub unica conclusione dicenda est.

Missa facienda sit aliqua commemoratio, quae, vi Rubricae, nunquam potest omitti; tunc orationes istae sub diversa conclusione dicendae sunt.

Nota. Editio typica Ratisbonensis, quam apud nos habemus, Rubricam de Doxologia propria, nempe *Iesu tibi sit gloria*, in Officio S. Familiae ponit; ideoque haec dicenda est et non alia. Ex ipsa autem natura officii eruitur talem debere esse Doxologiam, cum ista dicatur in Hymno ad primas Vesperas.

IV. *Pro Hibernia.* Nullo modo permittendum est quod Sacerdoti benedictionem cum SS.mo danti, in defectu ministri, mulier, etiam religiosa, assistat. Id omnino illicitum est. Ius enim statuit (*de Cohab. Cleric. cap. I.*): « Prohibendum quoque est, ut nulla foemina ad Altare praesumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut intra cancellos stare vel sedere ». Et D. Paulus: « Mulieres in Ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse (*I. ad Corinth. XIV, 34*) ». Sed si ministrent, non amplius subditae, sed *administratrices* sunt. Quod si Sacerdoti nullus sit minister, omnia per semetipsum agere debet.

V. *Pro Hollandia.* Sacerdos in aliena dioecesi celebrans, debet in omnibus et per omnia se conformare iis quae in eiusdem Dioecesis Ecclesiis vigent. Ideoque si in hac Dioecesi aliqua Collecta imperata sit, diversa ab illa imperata in sua, illa dicenda est, non ista. Decretum enim *Urbis et Orbis* d. d. 9 Decem. 1895 statuit quemlibet Sacerdotem in aliena Ecclesia, etiam quae intra fines eiusdem Dioecesis sit, celebrantem, omnino se debere conformare calendario Ecclesiae istius; a fortiori hoc valere debet si Sacerdos celebret in Ecclesia Dioecesis alienae; alioquin finis Decreti nullo modo obtineretur. Neque valet dicere, Sacerdotem in casu tanquam peregrinum considerari, ideoque subiectum non esse legi locali; hoc verum est pro

aliis legibus, non pro ista ; cum decretum supra citatum libertatem in hac parte ei abstulerit.

VI. *Pro Hispania.* S. Rituum Congregatio Decreto *Urbis et Orbis* d. d. 8 Iunii 1896 Episcopis, sive dioecesanis sive titularibus, concessit privilegium de quo in casu, nempe ut Fideles omnes Missam in eorum Oratoriis privatis audientes, praeceptum Ecclesiae adimpleat. De aliis Oratoriis nulla lex data fuit ; quapropter in eisdem Ecclesiae praecepto a Fidelibus satisfieri non potest, nisi accedat privilegium, quod a S. Sede conceditur ad tempus tantum. Oratoria Collegiorum, Hospitalium etc. aequiparantur Oratoriis Episcoporum ad hunc solum effectum, pro conformitate Missae cum officio loci; uti habetur ex Decreto *Ruthenen.* d. d. 22 Maii 1896, ubi legitur : « Utrum, post decretum generale diei 9 Decembris 1895 editum *de Missa conformi Officio Ecclesiae vel Oratorii publici*, Calendario loci, an vero Celebrantis respondere debeant Missae, quae celebrantur in capellis Episcoporum, Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium et Carcerum ? » Et S. R. Congregatio respondendum censuit : « Dummodo agatur de Capella principali, quae instar Oratorii publici *ad effectum memorati Decreti* habenda est, *Affirmative* ad I, *Negative* ad II. ».

VII. *Pro Hollandia.* S. Titi dies propria est 6 Februarii: S. Cyrilli Ep. Hieros. est 28 Ianuarii. Cum autem neutrum festum die propria possit, in casu, recoli, parum interest, illud huic fuisse in repositione antepositum. Conveniendum tamen, ea reponenda consultius fuisse iuxta ordinem temporis, quo erant celebranda in propria die. — Idem dicas de Ss. Martyribus Iaponensibus.

VIII. *Pro eod. loco.* Verba liturgica « *assignata* » et « *fixa* » discriminantur inter se. Illud significat officium perpetuo repositum extra diem suam, seu non propriam, hoc vel natalem aut quasi-natalem. Istud vero significat officium

affixum diei mensis. Illud relationem habet cum die propria, istud cum festo mobili vel ad instar mobilis. Nihilominus in praxi quandoque praefatis duobus verbis eadem tribuitur significatio, indicant nempe officium aliqua die collocatum, sive mobilis ista sit, hoc est Dominica vel feria: sive fixa etiam sit, nempe dies mensis. Loquendi ratio indubie minus exacta; sed e rerum adiunctis facile intelligitur diversus sensus, sub quo ea verba usurpantur, ut nullum ex eo sequatur incommodum.

IX. *Pro cod. loco.* Reformato calendario dioecesis, necessario reformanda, supra illud, Calendaria Ecclesiarum particularia eiusdem dioecesis. Festa vero, quae impediuntur in Ecclesiis particularibus, ob Patronum loci vel Sanctos peculiares eorumque dies octavos, diebus primis liberis in iisdem calendariis particularibus reponi debent.

SOLUTIO QUAESTIONIS

pro mense Martio 1898 propositae (1).

PROPOSITIO.

Quando Antiphona idem, ac Psalmus sequens, initium habet, cum tamen in reliquis differat, potest ne in officio semiduplici applicari Rubrica generalis Breviarii, Tit. XXI, n. 7?

SOLUTIO.

Ut pede procedamus tuto in enodationem propositionis, ante omnia sub oculis ponere nos iuvat ipsum Rubricae textum. Quid

(1) *Propositae quaestionis solutionem* ad nos dederunt duo Academici, nempe cl. Anastasius Fourneret atque Nivardus Bossi, Parochi. Utriusque opus satis elaboratum, ratiocinio praestans, atque eruditione; sed alterum cum altero non convenit. Sententiam quam Rubricis magis adhaerentem credimus, quae primi est, evulgamus.

ergo docet Titulus XXI, n. 7? « Quando Antiphona sumitur « ex principio Psalmi vel Cantici, et incipit sicut Psalmus vel « Canticum, post Antiphonam non repetitur principium Psalmi « vel Cantici, sed continuatur quod sequitur in Psalmo vel Can- « tico, ab eo loco ubi secundum ritum diei desinit Antiphona, « nisi discontinuetur per *Alleluia*. » Unde primo intuitu patet et certas exigi conditiones, ut non iteretur initium Psalmi, si iam prolatum sit in Antiphona, et Rubricam hanc posse pro officio semiduplici, quamvis in reliquis differat, applicari, dummodo verificentur conditiones iuxta ritum diei.

Quaenam autem requiruntur conditiones, ut non repetantur in Psalmo eadem verba quibus gaudet ipsa praecedens Antiphona, et quando suam habent applicationem in officio semiduplici sicut in officio Duplici? Lege et vide.

1. Conditio.— Oportet ut Antiphona sumatur ex principio Psalmi vel Cantici (Tit. XXI, n· 7), et ideo si in officio semiduplici initium Antiphonae tantum materialiter vel fortuito concordet cum primis verbis Psalmi sequentis, non autem sit ex dicti Psalmi principio, ut ex contextu facile recognosci potest, tunc verba, quamquam in Antiphona prolata, repetuntur ad intonationem Psalmi. Ratio est quia unus Psalmus continuari nequit, si revere non fuerit iam in Antiphona incoeptus. Hinc vox *Cantate*, licet in Antiphona enuntiata, iteranda tamen erit etiam pro initio Psalmi 95 Feriae VI ad Matutinum, quia Antiphona materialiter incipiens sicut Psalmus, non se refert ad primum, sed ad secundum versum, et proinde impossibile est prosequi, quod nondum inchoatum est in Antiphona. Item, in officio semiduplici, repeti debet initium Psalmi *Beatus vir* de primo Nocturno Communis Confessorum, quamvis verba haec iam dicta sint in Antiphona, quia non respiciunt versum primum, sed alterum, ut ex contextu liquet, et si non iterarentur verba *Beatus vir*, revera omitteretur principium Psalmi : quod nefas est, sicut omitti non debent initia librorum S. Scripturae. Pariter iterari debet Psalmus, v. g. *Domine, quis habitabit*, e tertio Nocturno Confessorum, ubi ex modo interrogativo primus versus transit in affirmationem absolutam in Antiphona cum speciali appropriatione ad sanctum diei, scilicet : *Domine, iste san-*

ctus habitabit: et ratio est quia praefata Antiphona tunc potius accommodatur verbis Psalmi, quam desumitur ex primo versu, ut ex primo aspectu resultat.

Haec doctrina confirmatur in ipso Rituali Romano, ubi pro sepultura Parvulorum expresse indicatur repetitio vocis *Benedicite* in Cantico, quamvis eadem vox prolata sit immediate ante Canticum per modum Antiphonae, et adeo certa est interpretatio nostra, ut Antiphona *Benedicite* uno modo ibi notetur, et altero modo initium Psalmi *Benedicite*. Quare autem? Quia Antiphona non ex primo versu sumitur Cantici, testibus verbis: « *Benedicite Dominum, Omnes electi eius, agite dies laetitiae, et* « *confitemini illi,* » quae nullo modo quadrant cum Cantico incipiente: « *Benedicite omnia opera Domini Domino.* » Ergo oportet vere, ad verba Antiphonae non repetenda in initio Psalmi, ut illa sint ex primo versu sumpta, et non solum materialiter similia, quae alterum sensum faciunt, ut quando ex una parte dicitur: *Domine, quis habitabit*, et ex altera: *Domine, iste sanctus habitabit.*

Non diffiteor errorem in praxi facile occurrere posse relate ad hanc conditionem. Primo, plures non sufficienter praevident suum officium recitandum, et nescientes quid agere, casu inopinato surgente, omittunt verba undecumque sumantur, dummodo primis verbis Psalmi respondeant. Secundo, quia non raro Antiphona tantum inchoatur ante Psalmum, et oculis discurrendum foret per paginas ad sciendum an verba, integre relata post Psalmum, sint de primo versu nec ne; alii sub pretextu distractionis exinde resultantis in recitatione Breviarii faciendo talem inquisitionem, praeferunt oculis clausis prosequi Psalmum sine ulla repetione, eo ipso quod audiunt in Antiphona prima Psalmi verba. Sed quid contra nos? Omnes norunt axioma: *non quid fit, sed quid faciendum*, et ideo non obstante auctoritate cl. De Herdt in contrarium, repeti arbitramur debere *Beatus vir* in Semiduplicibus quoad primum Psalmum de Commuui Confessorum quia, ut iam diximus supra, Antiphona, si materialiter incipiat sicut Psalmus, in casu se refert indubie ad alterum ac 1^{um} versum, et ita interpretanda Cavalieri sententia Tom. 2, cap. 34, dec. 3, n. 2.

2. *conditio.* — Oportet ut Antiphona incipiat sicut Psalmus vel Canticum (Tit. XXI n. 7), et itaque si, post inchoationem aut in fine illius dumtaxat occurrat concordantia Psalmi cum Antiphona, ipso facto iterari debent verba, licet iam una vice prolata. Mens enim Rubricae non est prohibere ne bis repetantur verba prius enuntiata (cur enim in casu exigeretur ut Antiphona incipiat sicut Psalmus?), sed vult impedire ne duplex sit initium Psalmi, unum in Antiphona, et alterum in ipso Psalmo. Verbi gratia, dato quod fiat de pluribus Martyribus sub ritu duplici in Quadragesima, cessante *Alleluia* finali, ultima Antiphona ad Laudes clauditur iisdem verbis quibus exorditur Psalmus. Credisne hoc propterea impediturum, ut initium Psalmi repetatur? Nullo modo, quia prima Antiphonae verba: *Martyrum chorus*, identitatem tollunt cum initio praefati Psalmi, et propterea, initium nisi velis sub silentio teneri (quod nefas est), repeti debent absolute verba: *Laudate Dominum de caelis*, ut Psalmi principium non omittatur.

Idem dicendum est pro festo S. Spineae Coronae D. N. I. C. Quia enim secunda Antiphona tertii Nocturni per vocem *Domine* terminatur, autumabisne Psalmum sequentem *Domine in virtute tua,* ipso facto incipi debere ab verba: *in virtute?* Minime gentium, et consequens est ut identitas verborum nullo modo importet, si non simul efforment initium Antiphonae et principium Psalmi. Sed contra, in Dominica ad Vesperas ubi prima Antiphona sicut et exordium Psalmi est: *Dixit Dominus,* dicta Antiphona, prosequeris *Domine meo,* et non repetes *Dixit Dominus,* quia iam haberes duplex initium Psalmi (quod prohibetur), hinc immerito obiiceretur Rubrica Dominicae Septuagesimae, ex qua proferri non debent in fine primi versus Invitatorii verba: *proeoccupemus faciem eius*, quia continuo a Choro repetenda forent. Nam primo, casus non ad rem venit, cum ex Tit. XXI, n. 7 recitatio Antiphonae pleno iure exonerat ab iteratione eorumdem verborum in Psalmo, iam existentibus coeteris conditionibus, dum hic consulto imperatur ut omittantur in fine Psalmi eadem verba, ad eorum loco subrogandam Antiphonam. Secundo, si casum hunc absolute volueris ad rem pertinere, iam habes exceptionem, quae non nocet regulae gene-

rali, at potius iuxta valde tritum iuris axioma eam confirmat. Hoc adeo indubium est quod, si quis petat ab antiquioribus et celebrioribus Capitularibus, signanter Vaticanae Basilicae, usum in Urbe generaliter servatum, responsum in casu recipies Psalmum semper ab initio intonari, quin attendatur ad identitatem verborum cum initio Psalmi quae possit inveniri in fine Antiphonae vel post eius intonationem, et propterea absque haesitatione ut tutam proponimus sententiam nostram.

3. Conditio. — Oportet ut sine intermissione, ne per unum quidem *Alleluia*, concordet Antiphona cum Psalmi initio usque ad locum, ubi illa secundum ritum dici desinit (Tit. XXI, n. 7). Hinc, si integra dicitur Antiphona, idest in officio duplici, necesse est ut perfecte quadret cum initio Psalmi sine ulla discontinuatione sive in medio sive in fine : sed contra in officio semiduplici, sufficit ut Antiphona, duabus aliis conditionibus insignita, non discrepet a Psalmo usque ad locum, ubi Antiphona interrumpitur, licet in reliquis differat et itaque Rubricam hanc diximus posse in officio semiduplici applicari, quamvis non eodem absolute modo. Verbi gratia, *quod officium duplex attinet,* quando Antiphona et primus Psalmi versus iisdem constant verbis, statim finita Antiphona prosequitur Psalmus a secundo versu, ut expresse notatur in Dedicationis Communi extra Paschale Tempus ad primum Psalmum tertii Nocturni, et similiter in Festo SS. Nominis Iesu ad primum Psalmum primi Nocturni. Si autem quod sequitur in Psalmo separetur ab Antiphona etiam per unum *Alleluia*, iterari integraliter debet principium Psalmi, ut videre est intra Tempus Paschale tum pro Psalmo supradicto in Dedicationis Communi, tum pro Incidentia et die Octava Ascensionis ad Psalmum *Exaltabo te* secundi Nocturni. Licet enim totius Antiphonae verba in casu sint prorsus eadem ac primus versus Psalmi, attamen repeti debent quia vox *Alleluia* in fine tollit continuationem Psalmi (1). Quod a fortiori dicendum est, si forsan versui primo adduntur verba alterius versus non immediate sequentis in Psalmo, ut evenit tum in Com-

(1) Rubr. spec. Dedicat : Cavalieri, Tom. 2, dec. 299, n. 2 : De Herdt, Tom. 2, n. 324; Levavasseur, Tom. 1, part. 3, n. 296.

muni Confessorum ad tertiam Antiphonam secundi Nocturni, tum etiam in festo et die Octava Epiphaniae ad primam Antiphonam primi Nocturni, quae componitur ex prima parte versus primi et fere ex ultima parte versus secundi.

Quoad autem officium semiduplex, dato quod sufficit ut Antiphona, duabus ceterum primis conditionibus decorata, non discrepet a principio Psalmi usque ad locum ubi frangenda est dicta Antiphona, multo numerosiores sunt casus, ubi repeti non debet initium Psalmi, quia iam non attendendum est in casu an in reliquis differat nec ne. Exempli gratia, infra Octavam Dedicationis, inchoata Antiphona *Qui habitat*, semper, ne Tempore Paschali quidem excepto, semper continuatur Psalmus per verba: *in adiutorio Altissimi*, sicut fit quoque in Dominica pro primo Vesperarum Psalmo, iuxta superius declarata. Item dicendum est tum de Psalmo *Exaltabo te* infra Octavam Ascensionis, tum de Psalmo *Domine, Dominus noster* in Communi Confessorum, quia quod discrepat post locum, ubi, secundum ritum semiduplicem diei, cessat Antiphona, non impedit continuationem assuetam Psalmi sine ulla variatione, cum id in quo posset discontinuari, tacetur ante Psalmum, ut fert hypothesis, stante ritu semiduplici.

Si quis adhuc dubitaret de hac doctrina, legat specialem Rubricam quae ante Psalmum *Diligam te* incribitur in secundo Nocturno Dominicae, et conferat Antiphonam cum primo versu Psalmi, et assertio nostra luce meridiana clarior apparebit. Primo, Antiphona sumitur ex primo versu, et si parumper differt in verbis, hoc ex eo provenit quod tempore S. Pii V, qui iussit vulgatam versionem S. Scripturae inseri Breviario, inserta tantum fuerunt iuxta eamdem versionem Psalmi et Lectiones; antiphonae vero iuxta versionem, secundum quam antea legebantur, retentae fuerunt (1). Haec eadem differentia animadvertitur inter ultimam partem Antiphonae primae solemnitatis Epiphaniae in in primo Nocturno et ultimam partem versus secundi, e quo eruitur haec postrema pars. Secundo, Antiphona incipit sicut

(1) Grancolas, *Comment. hist. in Brev.* lib. 2, cap. 1; De Herdt, Tom. 2, n. 324.

Psalmus, et quamvis in reliquis differat, quid inibi statuit et mandat Rubrica ? « (Antiphona) non repetitur in Psalmo: quod semper fit, quando Antiphona incipit a primo versu Psalmi, et Psalmus tunc incipitur ab eo verbo, in quo desinit Antiphona, sive integra dicatur, *sive tantum inchoata,* si tamen eadem sint verba, et continuetur Antiphona cum Psalmo. » Ergo, in officio semiduplici, licet totius Antiphonae verba non eadem essent cum primo versu, si tamen ex eo sumantur et verba Antiphonae, quae ante Psalmum dicuntur, perfecte quadrent cum initio Psalmi, non est locus repetitioni horum verborum in Psalmo, quia iam non est quoque ulla solutio continuitatis in casu inter Anphonam et Psalmum, nonostante aliqua differentia in reliquis ; et sic stabilitur sententia nostra, quam tuto sequendam credimus.

A. Fourneret
ex Acad. Liturg. Romun.
Curè de Lannes (Diocèse de Langres)

Nota — Litera Rubricarum inspecta, Dissertatio cl. Academici nostri omnimoda vi pollet. Sed fortasse Rubricarum spiritus, quod nonnulla attinet in eadem Dissertatione contenta, inspiciendus est. In sequenti Ephemeridum numero aliquas ad rem animadversiones lectoribus considerandas exhibebimus.

Redactio

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MAIO.

Qua ratione sit intelligenda atque in praxim deducenda Rubrica Gen. Breviarii (*Tit XXVI. n.* 7.): « Cum..... initium alicuius Epistolae Catholicae..... aut alicuius Prophetae minoris..... impeditur....., ponatur in sequenti feria.... non impedita; alioquin in praecedenti similiter non impedita, » pro variis casibus passim occurrentibus ?

ADDENDA ET VARIANDA

IN RUBRICIS GENERALIBUS ET SPECIALIBUS

BREVIARII ROMANI (1).

IN RUBRICIS GENERALIBUS

I. *De officio duplici.*

N. 2. Festum duplex celebratur aut de eodem fit Commemoratio eo die quo cadit, nisi illud contingat transferri **aut penitus omitti,** ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

N. 6. Preces ad Primam et Completorium, et Suffragia de sancta Maria, sancto Ioseph, Apostolis, **Titulo,** et Pace ad Vesperas et Laudes non dicuntur in Officio duplici, ut etiam in propriis eorum Rubricis dicetur.

II. *De Officio semiduplici.*

N. 2. De Festo semiduplici fit eo die quo cadit, aut de illo ponitur Commemoratio, **vel penitus omittitur,** ut dicetur in Rubrica de Translatione Festorum.

IV. *De Dominicis.*

N. 1 De Dominica semper fit Officium in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, quocumque Festo duplici, vel semiduplici adveniente : quia tunc Festum transfertur aut, de eo fit Commemoratio **aut penitus omittitur** (ut in Rubrica de Translatione Festorum dicetur), nisi illud Festum sit **Duplex primæ classis ;** quia tunc **fit tantum** de huiusmodi Festo, cum Commemoratione Dominicæ ; quibusdam Dominicis exceptis, ut dicetur in Rubrica de Commemorationibus. In aliis Dominicis per annum fit de Dominica, etc.

VII. *De Octavis.*

N. 3. . . . . ut dicetur in eadem Rubrica de Translatione Festorum. Infra Octavam Epiphaniæ fit tantum **de Duplicibus primæ classis (non tamen in die Octava),** cum Commemoratione Octavæ. Infra Octavam Corporis Christi, etc.

VIII. *De Officio S. Mariæ in Sabbato.*

N. 5. Dicuntur Preces Dominicales ad Primam et Completorium, et fiunt Suffragia con-

(1) Ut plurium Consociatorum petitionibus faciamus satis, *Additiones et Variationes*, quae ex decreto d. d. 11 Decembris 1897 in Rubricis Generalibus et Specialibus Breviarii et Missalis Romani inducendae sunt, heic ponimus: in praesenti numero quae in Breviario faciendae: in sequenti, quae in Missali, ob defectum spatii. *Additiones* et *Variationes* typis crassioribus impressae sunt. *Redactio.*

sueta de sancto Ioseph, de Apostolis, **de Titulo,** et de Pace, et tempore Paschali sola Commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta eius Commemoratio cum aliis Suffragiis, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

IX. *De Commemorationibus.*

N. 8. Commemorationes fiunt hoc modo : Post Orationem diei, in primis Vesperis dicitur Antiphona quae posita est ad *Magnificat,* et in Laudibus quae posita est ad *Benedictus* in Communi (si propriam non habuerit) conveniens eius Officio, cuius fit Commemoratio. Post Antiphonam dicitur Versus, inde sumendus, unde sumpta est Antiphona, scilicet post Hymnum Vesperarum et Laudum : deinde dicitur Oratio. Si Antiphona et Versus Festi **simplicis,** de quo fit Commemoratio, sumenda essent ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, in Festo Commemorationis variantur, ita ut in Vesperis sumantur ex Laudibus et in Laudibus ex primis Vesperis eiusdem Communis, nisi aliter signetur. **Si vero ex eodem Communi, unde sumpta sunt in Officio diei, sumenda essent Antiphona et Versus Festi redacti ad instar Simplicis, tunc in primis Vesperis Antiphona et Versus sumantur e secundis ; si Festum utrasque Vesperas habeat, in Laudibus e primis Vesperis, et in secundis Vesperis Antiphona sumatur e Laudibus et Versus e primis Vesperis, nisi aliter signetur : excepto casu, quo Commemoratio alicuius S. Virginis facienda sit in Festo alterius S. Virginis ; tunc enim in primis Vesperis pro S. Virgine de qua agitur Commemoratio, Antiphona sumenda erit e Laudibus. Quando vero Festum ad instar Simplicis recolendum Commemorationem in secundis Vesperis ob Festum duplex primae vel secundae classis immediate sequens non habeat, fit ut supra dictum est de Festis simplicibus.** Et similiter si in secundis Vesperis sanctæ **Angelae Mericiae,** aut alterius Sanctae novem Lectionum, fieri debeat Commemoratio beatae Mariae, pro eius Officio in sequenti Sabbato celebrando, ne repetatur ℣. *Diffusa est gratia,* dicatur ℣. *Benedicta tu,* ex Laudibus. Si item occurrat, ut eadem sit Oratio Festi de quo fit Officium, et eius de quo fit Commemoratio, mutetur Oratio pro Commemoratione in aliam de Communi. Si de Tempore fiat Commemoratio, de Dominica scilicet, vel Feria, Antiphona et Versus ante Orationem eodem modo sumantur ex Proprio de Tempore, si habuerit proprium, alioquin de Psalterio, Oratio vero ex Proprio de Tempore.

N. 11. **Quando contingit fieri plures Commemorationes illæ semper præponantur, quæ ad Officium pertinent, cuiuscumque sit ritus ; exceptis illis, quæ ab Officio, de quo agitur, nunquam separantur, uti de sancto Paulo Apostolo in Cathedra sancti Petri etc., prout in Rubricis specialibus suo loco dicetur. Deinde servetur hic ordo : 1. de Dominica privilegiata, 2. De die**

Octava, 3. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori, ad instar Simplicium redactis, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de Feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici. De sancta Maria (quando in secundis Vesperis Festi novem Lectionum, quod Feria sexta celebratum sit, de ea fieri debet Commemoratio pro Officio sequentis Sabbati) fiat ante festum simplex in Sabbato occurrens. De Festo simplici fit Commemoratio ante Suffragia, seu communes Commemorationes de Cruce, sancta Maria, sancto Ioseph, Apostolis et de Pace, et ante Commemorationem cuiuscumque Tituli vel Patroni Ecclesiae, quæ etiam pro sui dignitate aliis Suffragiis prædictis praeponeretur. De quibus Suffragiis, quomodo et quando facienda sint, habetur inferius propria Rubrica.

X. *De Translatione Festorum.*

N. 1. Si aliquod Festum duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia **et Festo** Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in **Festo ac** tota Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, in tota maiori Hebdomada, et infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimae Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi, et eius die Octava in Festo **Sacratissimi Cordis Iesu, in Festis** Immaculatae Conceptionis, **Annuntiationis** et Assumptionis beatae Mariae Virginis, **in Nativitate sancti Ioannis Baptistae,** in Festo sancti Ioseph Sponsi eiusdem **beatae Mariae Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli,** ac Omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Ioannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quae in die Octava Corporis Christi **et in Festo Sacratissimi Cordis Iesu** celebrantur : excepto quoque Festo quocumque solemni alicuius loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secunda, tertia et quarta Adventus, et Quadragesimae, Dominica Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae, et diebus infra Octavam Epiphaniae (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) **et excepto Festo primario solemni in Festo Sacratissimi Cordis Iesu,** celebratur. Si autem Festum Purificationis beatae Mariae Virginis venerit in aliqua Dominica secundae classis, transfertur in Feriam secundam sequentem quamvis impeditam. Item si Festum Nativitatis sancti Ioannis Baptistae venerit in die Corporis Christi, transfertur in sequentem diem, cum Commemoratione Octavae ; et in secundis Vesperis Corporis Christi fit tantum Commemoratio sancti Ioannis : sequentibus autem diebus fit Officium de eadem Octava Corporis Christi cum Commemoratione Oc-

tavae sancti Ioannis. Dies autem Octava sancti Ioannis tunc veniens in die Octava Corporis Christi, non transfertur, sed de illa eo anno fit tantum Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus diei Octavae Corporis Christi (1) : et id semper servetur quando Festum habens Octavam transfertur ; ut non ideo dies Octava transferatur, sed ipsa die de ea fiat Commemoratio, quae alias erat Octava , si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum per totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava : nisi Titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat. Festa tamen duplicia minora, exceptis illis Sanctorum Ecclesiae Doctorum, si occurrsu Dominicae, vel maioris Festi seu Officii quomodocumque impediantur, non transferuntur, sed ipso die quo cadunt, de eis fit in utrisque Vesperis et Laudibus Commemoratio, et legitur nona Lectio historica ad Matutinum, si tamen haec eo die fieri possint ; secus huiusmodi Festa duplicia minora eó anno penitus omittuntur, ut in praecedenti Rubrica dictum est num. 7 et 10, et infra de Simplici dicetur num. 8. Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest. **Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiae, si quotannis a digniori Officio impediantur, reponuntur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo recolenda.**

N. 5. Festum semiduplex occurrens diebus supradictis, et infra Octavam Corporis Christi, et aliis Dominicis per annum, non transfertur, sed ipso die quo cadit, de eo fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus, et legitur nona Lectio historica, aut illud penitus omittitur, ut supra de Duplici minori dictum est **Festum tamen semiduplex, si quotannis ab Officio digniori impediatur, reponitur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de Duplici minori superius cautum est.**

N. 6. Si duo vel plura Festa novem Lectionum simul Eodem die veniat, fiat Officium de maiori, id est, de Duplici, et de Semiduplici fiat Commemoratio, ut supra. At si omnia fuerint Duplicia, vel omnia Semiduplicia, fiat de digniori, seu solemniori, **videlicet, de Festo potioris ritus prae alio ritus inferioris, aut in paritate ritus de primario prae secundario, aut, iisdem primariis vel secundariis, de digniori ratione personae, aut, in paritate dignitatis de fixo prae mobili, aut denique, ceteris paribus, de magis proprio ; prae minus proprio ;** et quae Duplicia minoris solemnitatis sunt, si transferri valeat, trans-

(1) De festo redacto ad ritum simplicem tertia com. pro secundis Vesperis omittenda est ex lege generali (*V. Rubr. Gen. Tit. IX, n. 4*); ergo Rubrica ista exceptionem constituit pro octava S. Ioannis, et regulam in contrarium firmat.

Redactio.

ferantur: aliter de eis, quemadmodum de Semiduplicibus, fiat Commemoratio **aut penitus omittantur,** iuxta superius explicata.

N. 7. Si plura Festa duplicia ex iis quae transferri possunt, transferenda sint, quod est magis solemne semper prius transferatur, et prius celebretur: alioquin si sunt aequalia, unum ante aliud transferatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus: **quod etiam servabitur in Festis duplicibus minoribus, et semiduplicibus perpetuo impeditis.**

XI. *De Concurrentia Officii.*

N. 4. Semiduplici Festo, Dominica, et die infra Octavam, concurrentibus cum sequenti Duplici, omnia de Duplici cum Commemoratione illorum; nisi Duplex fuerit ex numero maiorum, quae supra in Rubrica de Commemorationibus numerata sunt, in quibus nulla fit Commemoratio praecedentis. Semiduplici Festo concurrente cum sequenti alio Semiduplici, **vel** cum Dominica, a Capitulo fit de sequenti, et Commemoratio praecedentis, nisi aliter signetur. **Eodem vero Semiduplici concurrente cum sequenti die infra Octavam, Vesperae erunt de illo, cum Commemoratione Octavae.** Semiduplici autem concurrente cum sequenti Festo simplici, vel cum Officio beatae Mariae in Sabbato, omnia de Semiduplici, cum Commemoratione sequentis.

N. 6. Die infra Octavam concurrente cum sequenti Dominica, a Capitulo fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae. **Die vero infra Octavam concurrente cum sequenti Semiduplici, Vesperae erunt de sequenti, cum Commemoratione Octavae.** Dies infra Octavam cum Simplici proprie non habet concursum, quia in sequenti die infra Octavam non fit de Simplici nisi Commemoratio, quae et eadem ratione in praecedenti die infra Octavam fieri debet.

N. 7. Die Octava concurrente cum alia die Octava, **ceteris paribus**, a Capitulo fit de sequenti cum Commemoratione praecedentis, excepta Octava Corporis Christi, concurrente cum Octava sancti Ioannis Baptistae, in qua de sequenti fit **Commemoratio, etiam occurrente Festo duplici primae classis Sacratissimi Cordis Iesu** et quando aliter in propriis locis notatur. Die Octava concurrente cum sequenti Duplici minori, etiam translato, **ceteris paribus**, a Capitulo fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae (exceptis diebus Octavis **Festorum primariorum** beatae Mariae Virginis, etiam particularibus alicuius Religionis, **sanctorum Angelorum, sancti Ioannis Baptistae, sancti Ioseph Sponsi beatae Mariae Virginis et sanctorum Apostolorum,** in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici maiori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum Commemoratione Octavae: excepta die Octava Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, **aliisque Festis primariis Domini,** in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio. Si autem sequens festum, etiam translatum, fuerit ex solem-

nioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine num. 6, totum Officium fit de sequenti, cum Commemoratione Octavae. **Ceteris vero non paribus, quando dies Octava cum alia die Octava concurrit, Vesperae integrae fiunt de illa, quae est Festi potioris ritus aut primarii, aut dignioris ratione personae cum Commemoratione alterius. Concurrente autem cum Festo duplici, Vesperae erunt, vel de die Octava, vel de duplici cum Commemoratione alterius, prouti de Octavis inter se concurrentibus dictum est; exceptis Octavis Festorum Domini et B. Mariae Virginis, ut supra.**

XII. *De Ordinando Officio ex praedictis Rubricis.*

N. 5. In Festis beatae Mariae (**exceptis** iis, quae propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quaedam requirenda sunt ex communi eius Officio, circa finem Breviarii, **quod inscribitur: In Festis beatae Mariae Virginis per annum.**

XX. *De Hymnis.*

N. 3. Dicuntur autem in Officio de Tempore ut in Psalterio, quando proprii Hymni in Proprio de Tempore non adsunt: qui Hymni de Psalterio in Dominicis et Feriis assignati dicuntur ab Octava Pentecostes usque ad Adventum (Dominica infra Octavam Corporis Christi excepta) et ab Octava Epiphaniae usque ad Dominicam primam Quadragesimae exclusive. In Officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum, nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. **Quando in aliquo Festo adsint tres Hymni proprii historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundae Vesperae non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum coniungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione.**

N. 4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium beatae Mariae tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (praeterquam in fine Hymni *Ave maris stella* et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, **atque Hymnorum in Festo Septem Dolorum beatae Mariae Virginis mense Septembris, qui habent** ultimum versum proprium) dicitur: *Iesu tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, etc.*, ut in eius Officio **per annum**, etiamsi dicantur Hymni de Sanctis, qui infra Octavas praedictas celebrantur, dummodo Hymni illi sint eiusdem metri, nec habeant ultimum versum proprium, ut Hymnus Sanctae Crucis ad Vesperas, et plurimorum Martyrum ad Matutinum.

XXXV. *De Commemorationibus communibus, seu Suffragiis Sanctorum.*

N. 2. Tempore Paschali fit alia Commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriae secundae post Dominicam

in Albis, et ea solum tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra octavas, **neque in Officio votivo de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, aut de Passione Domini.**

Duplicia 1.ae Classis,
in quibus etc.

Post: *Festum Corporis Christi* addatur: **Festum SS. Cordis Iesu.** Item post: *Immaculata Conceptio* addatur: **Annuntiatio.**

Duplicia 2.ae Classis,
in quibus etc.

Post: *Nativitas* (B. M. V.) addatur: **Solemnitas SS. Rosarii.**

Dominicae 2ae Classis.

Quae nunquam omittuntur, nisi occurrente **Duplici 1aeClassis, et tunc de iis fit Commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus.**

Duplicia Maiora per annum etc.

Post: *Exaltatio S. Crucis* addatur: **Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris.** Item post: *Commemoratio S. Pauli Ap.* addatur: **Dedicatio Basilicarum SS. Apostolorum Petri et Pauli.**

CATALOGUS FESTORUM

QUAE UTI PRIMARIA, VEL SECUNDARIA RETINENDA SUNT EX DECRETIS GENERALIBUS S. R. C. DIEI 27 AUGUSTI 1894 ET 5 FEBRUARII 1895.

Festa primaria in Calendario Universali.

§ 1. *Duplicia 1ae Classis*

Post: *Immaculata Conceptio* addatur: **Annuntiatio.**

Festa secundaria in Calendario Universali.

Pro aliquibus locis.

Post: *Prodigiorum B. M. V.* addatur: **Apparitionis B. M. V. Immaculatae; Manifestationis B. M. V. Immaculatae, a sacro numismate.**

TABELLA OCCURRENTIAE
SI OCCURRAT ETC.

1. Notandum, quod Duplex quodcumque, etiam Patroni et Tituli Ecclesiae, vel Dedicationis eiusdem, occurrens in Vigilia Nativitatis Domini et Pentecostes, in die Circumcisionis, in die Octava Epiphaniae, in Feria quarta Cinerum, ac in tota maiori Hebdomada, et infra Octavam Paschae et Pentecostes, in Ascensione Domini, in Festo Corporis Christi, in Festis Immaculatae Conceptionis, **Annuntiationis**, et Assumptionis B. M. V., in **Nativitate S. Ioannis Baptistae**, in Festo S. Ioseph, Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum, transfertur, si transferri valeat, aliter de eo fit Commemoratio ipso die quo cadit, vel penitus omittitur, ut ponitur in propriis Rubricis.

2. Infra Octavam Epiphaniae fit tantum **de Duplicibus primae classis occurrentibus** cum Commemoratione Octavae. Alia Festa **novem Lectionum in prima die libera** post Octavam

perpetuo celebrantur: de Simplicibus vero fit tantum Commemoratio, ut supra.

3. Infra Octavam Corporis Christi etc.

4. Infra illas Octavas etc.

5. De Octava Nativitatis Domini etc.

6. De aliis Octavis etc.

7. Dies Octavae etc.

8. Si **accidat ut** Patronus **loci,** vel Titulus Ecclesiae descriptus sit eodem die in Calendario cum aliis Sanctis, **qui separari queunt, in ea Ecclesia, vel in loco,** fit tantum de Titulari, vel Patrono. Alii si in dicto Calendario descripti sint sub ritu Duplici **maiori**, **vel** minori, aut Semiduplici, **transferuntur perpetuo in diem primam liberam, et de eis fiat Officium Semiduplex. Si vero sint ex Duplicibus 1. aut 2. classis, similiter in diem primam liberam perpetuo transferantur, et de eis fiat Officium sub eodem ritu, ac si propria die celebrarentur.** Si autem in Calendario omnes sint tamquam Festum simplex, de eis nihil fit.

9. De Feriis Adventus etc.

TABELLA CONCURRENTIAE

QUANDO CONCURRIT

Dominica I. et II. Classis etc.

. . . . . .

Duplex primae classis cum *Patrono, seu Titulo Ecclesiae* **6.,**

. . . . . .

Semiduplex cum *die infra Octavam* **4.**

. . . . . .

N. 6. Totum de digniori, Comm. de minus digno: **in paritate dignitatis a Capitulo de sequenti.**

1. Notandum, quod in primis Vesperis diei Octavae Ascensionis et Corporis Christi, **aliorumque Festorum primariorum Domini,** totum Officium fit de Octava, cum Commemoratione praecedentis Festi duplicis, nisi fuerit Festum solemne principale, aut primae vel secundae classis; quia tunc de Festo fieret Officium, et Commemoratio de Octava.

2. In secundis Vesperis diei Octavae **Festorum Domini, si primaria fuerint et solemniora, uti** Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, **aliorumque**, de sequenti Duplici, **si concurrat,** fit tantum Commemoratio, nisi **hoc** fuerit primae vel secundae classis: quia tunc de **eo** fieret Officium, et de Octava Commemoratio. **Die** Octava Corporis Christi in secundis Vesperis **nulla fit Commemoratio sequentis Duplicis (Sacratissimi Cordis Iesu), nisi concurrat,** cum die octava **S.** Ioannis Baptistae, **et tunc** Vesperae erunt de Octava Corporis Christi, cum Commemoratione Octavae sancti Ioannis.

3. **Diebus Octavis Festorum primariorum B. Mariae V., etiam particularibus alicuius Religionis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et Sanctorum Apostolorum de praecedenti, vel sequenti Duplici minori, fit tantum Commemoratio.**

3. In secundis Vesperis Duplicis primae classis fit Commemoratio de Festis duplicibus et semiduplicibus reductis ad modum Simplicis **tantummodo, si** huiusmodi Commemoratio facienda sit die sequenti. In Duplicibus tamen secundae classis

de dictis Festis fit Commemoratio **in utrisque Vesperis ad instar Octavae et Dominicae, uti in Rubricis generalibus de Commemorationibus dictum est;** non fit vero Commemoratio de die infra Octavam, nisi quando de ea fieri debeat Officium die sequenti.

5. Cum plures fiunt Commemorationes, servetur hic ordo: **Post Orationem Officii currentis, 1. de Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 3. de Duplici maiori, 4. de Duplici minori ad instar Simplicium redactis, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de Feria maiori vel Vigilia, 10. de Simplici.**

IN RUBRICIS SPECIALIBUS

1. *Ad calcem Feriae II. ad Laudes.*

Deinde dicitur Oratio propria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemorationes communes de S. Maria, de S. Ioseph, de Apostolis, **de Titulo,** et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens, etc.

2. *Die 28 Decembris. In Festo Ss. Innocentium Mm.*

Si Festum S. Thomae **venerit in Dominica, tunc in II. Vesperis Ss. Innocentium fit Commemoratio S. Thomae, deinde Dominicae (Ant. ỳ. et Oratio ut infra) et postea fiunt Commemorationes Octavarum.**

Die vero Dominica in Officio S. Thomae legitur ix. Lectio de Homilia, et in Laudibus fit Commemoratio Dominicae ante Commemorationes Octavarum. In II. autem Vesperis S. Thomae Antiphonae et Psalmi de Nativitate ritu duplici, Capit. et reliqua de S. Thoma, cum Commemorationibus Dominicae et Octavarum.

3. *Dominica infra Octavam Nativitatis.*

In II. Vesperis S. Thomae omnia dicuntur sicut in II. Vesperis diei Nativitatis ritu duplici, Capit. et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Dominicae et quatuor Octavarum.

4. *In die infra Octavam Nativitatis.*

Si dies post Festum S. Thomae fuerit Sabbatum, Officium fit de Octava Nativitatis hoc modo: In II. Vesperis S. Thomae omnia dicuntur sicut in II. Vesperis diei Nativitatis **ritu duplici: Capit. et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Octavae Nativitatis** et aliarum Octavarum.

5. *In Epiphania Domini.*

Infra Octavam Epiphaniae **non fit nisi de Duplicibus primae classis occurrentibus. Alia Festa novem Lectionum prima die libera post dictam Octavam perpetuo celebrantur. De Festis vero trium Lectionum fit tantum Commemoratio** iuxta Rubricas.

6. *In die Octava Epiphaniae.*

Si Octava Epiphaniae **occurrerit** in Sabbato, **secundae Vesperae erunt de Ss.mo No-**

mine Iesu, cum Commemoratione eiusdem diei Octavae et Dominicae II. post Epiphaniam tantum. Quando autem Septuagesima etc.

7. *Dominica I. in Quadrag.*

Si hac die et in aliis Dominicis Quadragesimae etc. **Tota expungatur.**

8. *In fine diei Octavae Ascensionis Domini.*

Si vero Feria sexta occurrat Festum novem Lectionum, **etiam translatum**, fit de Festo cum Commem. Officii eiusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus **primae classis; tunc enim Commemoratio Feriae semper omittitur. Si autem fuerit Duplex secundae classis, fit tantum Commemoratio in secundis Vesperis.**

9. *Sabbato in Vigilia Pentec.*

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusive, si occurrat Festum duplex ex maioribus vel alicuius Doctoris Ecclesiae, transfertur post praedictum Festum Trinitatis. De aliis vero Duplicibus, de Semiduplicibus **ac de Simplicibus** fit tantum Commemoratio **sine ix. Lectione (nisi sit Vigilia Pentecostes in qua dicitur),** excepto triduo Pentecostes.

10. *Dominica Pentecostes.*

Si infra Octavam Pentecostes etc. **Expungatur integra.**

11. *Ante Festum Corporis Christi, seu, ad calcem Rubricae post Feriam IV. infra Hebdom. I. post Octav. Pentecostes.*

Die vero Octava non fit nisi **de Duplici primae classis cum Commemoratione eiusdem diei Octavae; et II. Vesperae dicuntur sine ulla Commemoratione.**

12. *Ad calcem diei 10 Decemb. Tertia die infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. Mariae V.*

Vesp. **de sequ.** cum Commemoratione Octavae et Feriae.

13. *Ad calcem diei 11 Decemb. S. Damasi I. Papae Conf.*

In II. Vesp. Ant. *Dum esset.* ℣. *Iustum.* **Comm. Oct. et Feriae.**

14. *Ad calcem diei 13 Decembris. In Festo S. Luciae Virginis et Martyris.*

Qando festum S. Luciae incidit in Dom. III Adventus etc. **Integra expungatur.**

15. *Die 14 Decembris. Septima die infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. Mariae V.*

Statim addatur:

Si hodie faciendum sit de aliquo Duplici minori translato alicuius Doctoris Ecclesiae, in eius secundis Vesperis omnia dicuntur de die Octava, ut in primis Vesperis Festi, cum Commemoratione praecedentis et Feriae, nisi haec dies Octava occurrerit in Dominica, tunc enim Vesperae fiunt de Duplici translato cum Commemorationibus Dominicae et diei Octavae.

16. *Dominica II. post Epiph. In Festo Ss. Nominis Iesu. Duplex 2. classis.*

Occurrente Dominica Septua-

gesimae reponitur hoc Festum in die 28 Ianuarii, tanquam in sede propria (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat et transferri valeat, nisi sit altioris ritus, **aut aequalis, sed primarium)** et tunc legitur nona Lectio de S. Agnete secundo, et fit de ea Commemoratio in Laudibus tantum. De Festo duplici minori etc.

17. *Die 15 Ianuarii.*
S. Pauli I. Eremitae Conf.
Post Orationem Intercessio nos etc.

Si Festum S. Pauli alia die **alicubi** celebretur, **aut si de S. Mauro fiat tantum Commemoratio in Laudibus,** non variantur Ant. et ℣℣., sed dicuntur ut in Communi.

18. *Die 5 Februarii.*
S. Agathae Virg. et Mart.
Duplex.

In I. Vesp. quando dicuntur integrae, Ant. erunt *Quis es tu*, cum reliquis de Laudib. Psalmi *Dixit Dominus*, cum reliquis **ut in I. Vesp.** de Communi Apost. Capit. de Laud.

19. *Die 6 Februarii.*
Ad calcem Officii S. Titi Ep. Conf.

Si hoc Festum **alicubi** alia die celebretur (extra Quadragesimam), et in illa non occurrat, etc.

20. *Die 8 Martii.*
Ad calcem Officii S. Ioannis de Deo Conf.

In Quadragesima ix. Lectio de Homilia Feriae occurrentis et Commem. in Laud.

Si hoc Festum occurrat ante Feriam IV. Cinerum, vel alicubi celebretur post Pascha, neque occurrat cum eo Festum simplex habens Lectionem propriam, nona Lectio erit : Si ergo diligere, **ut in eadem Dominica XVII. post Pentecosten.**

Vesp. a Capit. de sequ. cum Commem. praecedentis et Fer.

21. *Die 19. Martii.*
S. Ioseph, Sponsi B. Mariae Virginis, Conf.
Duplex 1. classis.

Si hoc Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem : et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponendum erit in Feria quarta post Dominicam in Albis tamquam in sede propria.

In I. Vesperis.
Ant. 1. Iacob autem etc.

22. *Die 25. Martii.*
In Annuntiatione B. Mariae Virginis.
Duplex primae classis.

Si hoc Festum venerit Feria V. in Parasceve vel Sabbato Sancto, transferendum erit in Feriam II. post Dominicam in Albis tamquam in sedem propriam, integra cum solemnitate ac feriatione et sine Octava, servato tamen ritu Paschali. Si vero occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam II. immediate sequentem : quodsi incidat in Hebdomadam Maiorem vel Paschalem, ad enuntiatam Feriam II. post Dominicam in Albis amandetur, ac nonnisi Festo primario eiusdem ritus occurrente valeat impediri, quo in casu in

sequentem diem similiter non impeditam transferatur.

23. *Feria VI. post Dominicam Passionis*
Septem Dolorum Beatae Mariae Virginis.
Duplex maius.

Quando Festum Septem Dolorum B. M. V. hac Feria celebrari nequit ob occursum alicuius Festi altioris ritus, aut aequalis sed primarii, vel potioris dignitatis, transferendum **est in** Sabbatum immediate sequens, **simili modo non impeditum. Quod si neque in dicto Sabbato celebrari potuerit, eo anno omittatur.**

Si omittendae sint primae Vesperae, etc.

24. *Die 17 Maii.*
S. Paschalis Baylon Conf.
Duplex.
Ad calcem vi. Lectionis.

Alexander autem octavus Sanctorum catalogo adscripsit: **tandem Leo decimustertius peculiarem coetuum eucharisticorum, item societatum omnium, sive quae hactenus institutae, sive quae in posterum futurae sunt, Patronum coelestem declaravit et constituit.**

25. *Die 18 Maii.*
S. Venantii Martyris.
Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeter sequ.

Si hoc Festum **in utrisque Vesperis habeat solam Commemorationem, tunc hymnus ad primas Vesperas coniungitur cum hymno ad Matutinum, cum conclusione** *Sit laus Patri.* **Si vero integras habeat tantum secundas Vesperas, tunc hymnus** *Martyr Dei* **dicitur ad Matutinum,** *Athleta Christi* **ad Laudes, hymnus** *Dum nocte* **dicitur in secundis Vesperis.** Alias dicatur **uti infra inscribitur.**

In I. Vesperis
Hymnus.
Martyr Dei Venantius, etc.

26. *Die 19 Maii.*
S. Petri Coelestini Papae Conf.
Post ix. Lectionem pro S. Pudentiana.

Si hoc Festum **alicubi** alia die **celebretur, et in illa non occurrat Festum simplex habens Lectionem propriam,** Lectio ix. erit *Et Paulus*, de Communi Apostolorum secundo loco, ut supra.

27. *Die 27 Iunii.*
Quarta die infra Octavam Nativitatis S. Ioannis
Post ix. Lectionem.

Vesperae **de sequ.** cum Commem. Oct. S. Ioannis.

28. *Ante diem 30 Iunii.*

Si Commemoratio S. Pauli venerit in die Octava Corporis Christi extra propriam ecclesiam, transfertur **iuxta Rubricas** in primam diem **liberam**, ac totum Officium fit ut in propria ecclesia.

Die 30 Iunii. In Commem. S. Pauli Apost. Duplex maius.

29. *Dominica I. Iulii.*
Pretiosissimi Sanguinis
D. N. I. C.
Duplex 2. classis.

Si hodie occurrat Festum Visitationis B. M. V., **vel** aliud Festum **altioris ritus, aut** ae-

qualis **sed primarium,** de Pretiosissimo Sanguine fiet prima die, etc.

30. *Die 5 Iulii*
S. Antonii Mariae Zaccaria Conf.
Duplex.
Ad calcem Officii.

Vesp. de sequenti, Commem. praecedentis.

31. *Die 6 Iulii*
In Octava
Ss. Petri et Pauli Apost.
Post Ant. ad Magnif. in II. Vesp.

Et fit Commem. sequentis.

32. *Die 7 Iulii.*
Ss. Cyrilli et Methodii Pontt. et Confl.
Duplex.

In I Vesp., quando dicendae sint, Hymn. ut ad Matutinum.

℣. Sacerdotes tui induantur iustitiam

℟. Et Sancti tui exsultent.

Ad Laudes, post Orationem Omnipotens sempiterne Deus.

In II. Vesperis.

Hymn. ut ad Matutinum ℣. Sacerdotes, **uti supra in I. Vesp.**

Ad Magnif. Ant. Isti sunt, viri sancti, facti amici Dei, divinae veritatis praeconio gloriosi: linguae eorum claves coeli factae sunt.

Oratio ut supra. Deinde fit Commem. sequentis.

33. *Die 2 Augusti.*
S. Alphonsi Mariae de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct.
Duplex.
Post ix. Lect. pro S. Stephano I. Papa Mart.

Si hoc Festum **alicubi** alia die **celebretur, et in ea non occurrat Simplex habens Lectionem propriam,** ix. Lectio erit: *Hinc namque,* de **Communi Evangelistarum.**

34. *Die 8 Septembris.*
In Officio Nativitatis Beatae Mariae Virginis ad Laudes post Orationem Famulis tuis.

Deinde fit Comm. S. **Hadriani** Mart. hoc loco tantum etc.

Oratio.

Praesta quaesumus, omnipotens Deus: ut qui beati **Hadriani** *Martyris tui etc.*

35. *Dominica III. Septembris.*
Septem Dolorum B. Mariae Virginis.
Duplex maius.

Impedita Dominica III. Septembris ob occursum Festi duplicis 1. vel 2. classis, vel alicuius diei Octavae, vel Duplicis maioris primarii, vel potioris dignitatis, Festum Septem Dolorum B. M. V. transfertur in proximiorem sequentem Dominicam, simili modo non impeditam. Quod si usque ad Adventum, etc.

36. *Die 16 Septembris.*
Ss. Cornelii Papae et Cypriani Episc., Martyrum.
Semiduplex.
Post Orationem pro Ss. Euphemia, Lucia et Geminiano Mm.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani **occurrerit** in Dominica, fit Officium de **Festo Septem Dolorum B. M. V., cum ix. Lectione de Homilia et Commemoratione Dominicae, ac Ss. Martyrum Pontificum in utrisque Vesperis et Laudibus, necnon Ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani Mm. in I. Vesp. et Laud. tantum.**

In I. Nocturno Lectiones etc.

37. *Die 17 Septembris.*
Ad calcem Officii Impressionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. Francisci Conf.

Vesp. **de sequenti,** cum Commem. praecedentis.

38. *Dominica I. Octobris.*
In Solemnitate Ss.mi Rosarii B. Mariae Virg.
Duplex 2. classis.

Si hoc Festum alicubi non habeat primas Vesperas, Hymnus *Coelestis aulae* **coniungitur cun Hymno** *In monte olivis* **ad Matutinum.**

In I. Vesperis.

Ant. 1. Quae est ista etc.

39. *Die 8 Novembris.*
In Octava Omnium Sanctorum.
Post Rubricam de Laudibus.

Vesp. de sequenti, cum Commem. praecedentis, ac S. Theodori Mart.

40. *Die 9 Novembris.*
In Dedicatione Archibasilicae Ss.mi Salvatoris.
Duplex maius.
Post Rubricam de Laudibus.

In II. Vesp. Commem. sequentis ac Ss. Mm. Tryphonis et Sociorum.

41. *Die 18 Novembris.*
In Dedicatione Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli.
Duplex maius.
Post Lectionem ix.

In II. Vesp. Commem. sequentis ac S. Pontiani Papae, Mart.

42. *Pro aliquibus locis.*
Dominica II. Octobris.
Maternitatis B. M. Virginis.
Hymnus.

Coelo Redemptor praetulit
Felicis alvum Virginis,
Ubi **Futura victima**
Mortale curpus induit. etc.

IMPRIMATUR

P. Fr. Albertus Lepidi O. P.

S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Franciscus Cassetta Patriarch. Antioch. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

Romae, Typis Fratrum Amoroso, Piazza della Torretta Borghese N. 22-25.